SANCTISSIMI PATRIARCHAE BENEDICTI REGULA EX VETUSTISSIMIS...

Benedictus santo (santo),
Paolo Agostino De Ferrari

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
27 M
12

17

REGVLA
SANCTISSIMI PATRIS BENEDICTI
CVM NOTIS.

SANCTISSIMI PATRIARCHÆ BENEDICTI REGVLA

EX VETVSTISSIMIS MEMBRANIS
Sacri Monaſterij Caſinenſis ſumma fide,
ac diligentia exemplata,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CVI
VARIAS LECTIONES, ET NOTAS
ADIECIT
D. PAVLVS AVGVSTINVS
de Ferrarijs Ianuenſis Caſinas.



NEAP. Typis Nouelli de Bonis Typograph. Archiep. 1659.
Superiorum licentia.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

CARDINALI

FRANCISCO BARBERINO

S.R.E. VICECANCELLARIO,

CONGREGATIONIS CASINENSIS

PROTECTORI.

PROVOLVTVS ad genua Tua, Princeps Eminentiſſime, erubeſcentiam mihi non ingerit ob munuſculi, quod offero, tenuitatem, Ampliſſimus Purpuræ Tuæ ſplendor. Quamquam enim exiguum, ſi mole metiaris, magnum tamen ab Auctore, ab argumento. Magni ſiquidem BENEDICTI Regula eſt, quæ ex mente ſui Genitoris, quaſi nouo puerperio poſt tot ſecula renaſcens, Lucinæ Numen, Tuum inquam Nomen, vt in lucem fœliciter prodeat, ſibi propitium ominatur.

tur.

tur. Et verò non ingratum illud tibi futurum ſpero, eo ſaltem titulo, quod antiquitatem oleat, de qua tam heroicè, tam cumulatè bene mereris. Peruetuſti enim in Bibliotheca noſtra Caſinenſi Codices, ſuo prototypo ſuperſtites, vt Legislatoris noſtri Sanctiſſimam Legem Antiquæ, ac genuinæ, vt opinor, lectioni reſtituerem, opem mihi attulerunt. Reſtitutam eodem Tuo Patrocinio dignare, quod Tanti nos Patriarchæ Filij præſentiſſimum Experimur. Et BENEDICTVM in fundo Caſinate, non Varronis, ſed Barbarorum ſeculo ſcribentem, à Criticorum ſupercilio defendo. Ita ex Sacro Monaſterio Caſinenſi ſupplex orat 8. kal. Nouembris 1659.

Eminentiæ Tuæ

Humillimus, & addictiſſimus ſeruus

D. Paulus Auguſtinus à Ianua Caſinas.

NOVITIIS BENEDICTINAM REGVLAM PROFESSVRIS.

D. Paulus Auguſtinus de Ferrarijs Caſinas.

VOS in limine alloquor nouella germina ſanctitatis. Vos enim quaſi modo geniti infantes lac Sanctæ Regulæ concupiſcitis; quod eccè vobis propino fideliter ex vbere matris veſtræ; ex hac nempè Caſini domo, quam ſibi Pater Sanctiſſimus deſponſauit; huiuſque ſacri depoſiti cuſtodem inſtituit, & hęredem. Et porrò ſancta ipſa Lex, tot ſeculis vagata per orbem, ſiuè Typographorum incuria, ſiuè amanuenſium oſcitantia peregrinos adeò vultus contraxerat; vt vix ab Auctore agnoſci poſſet.

Tantum æui longinqua valet mutare vetuſtas!

Acceſſit criticorum quorundam inconſulta cenſura, quibus, dum nihil benè olet, niſi è Tullij myrothecio ſit depromptum, ſtudio illam emaculandi, turpiſſimè commacularunt, & in exoticos omninò ſenſus abire coegerunt; vt ex ipſo remedio vitia nata fuerint.

Quapropter zelo ſanctiſſimæ legis commotus, Pa-

trum-

trumque noſtrorum imperio incitatus, animum, & laborem contuli; vt illi maculas abſtergerem; eamque ab erroribus expiatam, quoad fieri poſſet natiuæ redderem integritati: ne ſemper in deterius ruens, tandem regulam in Regula quæreremus. Accidit ſiquidem in Codicibus, quod in moribus obſeruarunt Politici; vt, niſi per interualla temporum ad ſua principia retrahantur, dùm paulatim degenerant, nihil primigenium retineant, nec demum referant, quod aliquandò fuerant.

Cum autem perierit iam Regulæ autographum, ipſius Legislatoris manu exaratum, ex cuius fide cætera emendari poſſent exemplata; mihi viſus ſum, non aliundè fideliora exemplaria petere potuiſſe, quàm ex noſtra Bibliotheca Caſinenſi, cuius multiplices membranæ, à nongentis, & eò ampliùs annis theſaurum hunc nobis cuſtodiunt; vt proindè ipſa vetuſtas fidem illarum afferat; per eà enim Secula ſcriptæ videntur, quandò extabat originale, aut certè extabant, quæ ex originali tranſumpta fuerant, quod concors illarum lectio ſatis probat. Neque dubitationem afferat, quod non rarò in noſtris tabulis occurrant voces, & phraſes minus latinæ; quinimò hinc mihi duco potiſſimum argumentum germanæ noſtrorum fidei. Cum enim Barbarorum in Italiam illuuie Romanæ linguæ nitor, vbique lutulentus, penè in barbariem defeciſſet, qui eius ætatis dictionem latiniſſimam exhiberet, imposturæ ſuſpicionem euadere minimè poſſet: huiuſmodi enim tornatiles phraſes rudiora illa ſecula non ferebant, & nihilominùs luculentam Gregorius appellat Sancti Patris noſtri Regulam, nempè pro illa ætate. Sed, etſi caſtigatiſſima latini ſermonis formula ſanctus Legislator vti valuiſſet; adhùc tamèn ambitioſis vti-

lia

lia præferens,cogebatur demittere ſtilum,& ad capacitatem audientium deſcendere: nè, nimio Romanæ tunc elegantiæ ſtudio, barbarus latinis videretur: quod maximè faciendum erat in tradenda Regula; nimirum in genere dictionis didaſcalico, vt aiunt, & præceptiuo. Cum enim ſemibarbarè tùm loquerentur vulgo:eas formulas, & vocabula præferre debuit prudens Legislator,quibus melius ab omnibus intelligeretur, & tanto magis animas ad pietatem inſtrueret. Chriſtianæ nanque vitæ, non Latinitatis magiſtrum agebat. Mores,non verba componere,animis, non auribus ſcribere meditabatur. Quapropter Regulam ſuam non ad Regulas Donati,ſed ad normam Euangelij conformare voluiſſe credendus eſt, ſecutus dictamen Spiritus Dei, qui ſimplicioribus delectari conſueuit ſciens profectò cum Hieronymo, Inter Chriſtianos verborum non ſolere vitia reprehendi. Qua in re iuuat audire Arnobium lib. 1. reſpondentem ethnicis, Qui Chriſtianorum ſcripturas, barbariſmis, & ſolæciſmis obſitas, nauſeabant. *Puerilis*, inquit,*& anguſti pectoris reprehenſio quam ſi admitteremus,vt vera ſit, abijciamus ex vſibus noſtris quorundam fructuum genera,quòd cum ſpinis naſcuntur. Quid enim officit,aut quam præſtat intellectui tarditatem, vtrumne quid graue,an hirſuta cum aſperitate promatur? Aut qui minus id, quod dicitur verum eſt, ſi in numero peccatur, aut caſu,præpoſitione,participio,coniunctione? Pompa iſta ſermonis,& oratio miſſa per regulas, concionibus, litibus, foro,iudicijſque ſeruetur; deturque illis imò,qui voluptatum delinimenta quærentes, omne ſuum ſtudium verborum in lumina contulerunt. Cum de rebus agitur,ab oſtentatione ſubmotis, quid dicatur ſpectandum eſt, non quali cum amœnitate dicatur, nec quid auribus commulceat, ſed*

quas afferat audientibus vtilitates. Hæc & plura in eandem rem Arnobius, cui concinit Auguſtinus lib. de catechizandis rudibus cap. 9. & Seneca ad Lucilium. Præterquam quod habet vnaquæque Diſciplina, vel Ars vocabula quædam ità ſibi propria, vt ſi merè latinè ea efferre velis, aliud omninò exprimant, quàm conceperis. Ideò ſæpè opus eſt minus latinè loqui, nè minus clarè.

Non diffiteor itaque inueniri quandoque in Regula locutiones duras, & obſcuras: ea tamen obſcuritas, vndecunque prouenerit, non eſt minus veneranda. Quapropter Religio mihi fuiſſet, vel apicem in textu corrigere, aut immutare; ſicut nec auſi ſunt antiquiores Patres noſtri Caſinenſes, quamuis mendoſam eſſe literam aliquando ſuſpicarentur. Imitari Socratem ſatiùs viſum fuit, cui, cùm Euripides Heracliti opuſculum legendum dediſſet, rogaretque, quid ſibi videretur? dixiſſe fertur, Ea quidem, quæ intellexi, præclara ſunt: puto, & quæ non intellexi.

Atque hæc me præcipuè ratio impulit, vt præter varias lectiones textus, ſimplices quaſdam notulas, non anxius de verborum nitore, latinique ſermonis puritate, ſingulis Capitibus adnecterem: quarum ſubſidio ſuboſcuris quibuſdam locis lucem adferre conor; cuſtodita ſemper, ſæpè etiam vindicata Caſinenſium Codicum lectione.

Cæterum hanc ipſam antiquam Sacræ Regulæ nouitatem, non ab omnibus æquè commendandam præuideo: & maximè ab illis, qui vulgatis lectionibus à pueritia aſſueti, præeligunt de turbidis riuulis (ea vis eſt conſuetudinis) quàm de puro fonte potare. Arduum ſiquidem negotium eſt ſenis mutare linguam, & iam caneſcentem ad initia retrahere paruulorum

lorum;nemo enim non didiciſſe mauult, quàm diſcere. Propterea illis, vt in ſuo ſenſu abundent, relictis, ad vos, monaſticum tyrocinium vix ingreſſos, qualemcunque hunc meum in Regulam laborem cenſui dirigendum, quibus & gratior fides, & nouitas non oneroſa, quæ me excuſare valeat ratio, cur voces quaſdam non reconditæ eruditionis vobis explicare ſuſceperim.

Sed quoniam ingenui animi eſt fateri per quos profeceris; illud vos tandem latere non patiar: me non pauca, quæ in notas congeſſi, ex aduerſarijs excerpſiſſe Reuerendiſſimi P. D. Angeli à Neapoli Abbatis huius Sacri Caſinenſis Monaſterij, cui à ſecretis aſſiſto, cuiuſque laudes vniuerſas vnica comprehendam laude, quod à Magnis, & laudatiſſimis Viris laudatur. Vos interim valete, & in ſancto propoſito proficite.

D. Aloyſius è Venetijs Abbas, & Præſidens Generalis Congregationis Caſinenſis.

S.P.N.Benedicti Regulam,& in eam varias lectiones,& notas D.Pauli Auguſtini à Ianua,vt ſupra viſas,& approbatas in lucem edi poſſe concedimus, ſeruatis alias ſeruandis. Dat. in Monaſterio S. Georgij Venetiarum in actibus Capituli Generalis die 10. Maij 1659.

D. Aloyſius Abbas,& Præſidens.

d

Digitized by Google

Reuerendiſſime Domine. Lectiones, ac Notas in Regulam S. Patris Benedicti omni eruditione refertas digniſſimas, vt quamprimum è typis prodeant cenſeo.

Canonicus D. Matthæus Renzi V. I. D.
& S. Off. Conſult.

In Congregatione habita coram Eminentiſs. ſub die 3. Octobris 1659. fuit dictum, quod ſtante relatione prædicta Imprimatur.

Horatius Maltacea Vic. Gen. Neap.

Can. D. Matthæus Renzi V. I. D. & S. Off. Conſ.

Digitized by Google

Eccellentiſs. Sig.

NOuello de Bonis Stampatore fà intendere à V.E.come deſidera di ſtampare il Libro delle Regole di S.Benedetto . Per tanto ſupplica V. E. ordinare per la reuiſione di eſſo per poter ſtamparlo,che l'hauerà a gratia, vt Deus,&c.

Reu. P.Carolus Florillus Soc. Ieſu videat, & in ſcriptis referat.

Zufia Reg. Burgos Reg. Muſettulla Reg. Vlloa Reg.

Prouiſum per S.E. Neap. die 7. Nouembris 1659.

Excellentiſs.Domine.

In Varijs hiſce Lectionibus, Notiſque in Regulam S.Benedicti, Authore P.D.Paulo Auguſtino de Ferrarijs Caſinate, Sanctiſſimi Legislatoris proferuntur iura, ſanctiſſimarum legum propugnantur apices. Regia iuriſdictio hìc tuta eſt. Benedictus iterum è ſpinis erutus, docet inter aculeos, Principum iura acui potius,quam obtundi. Typis ſanè imprimendus eſt liber,qui ſacræ regulæ typum tam benè exprimit. Dat.in Collegio S. Franciſci Xauerij 25. Decembris 1659.

P. Carolus Florillus Societatis Ieſu.

Viſa ſupradicta relatione Imprimatur.

Zufia Reg. Muſettula Reg. Miroballus Reg.

d

INDEX CAPITVLORVM REGVLAE.

TItulus. 1
Prologus. 6
1 De Generibus, vel Vita Monachorum. 21
2 Qualis debeat eſſe Abbas. 27
3 De adhibendis ad conſilium Fratribus. 35
4 Quę ſunt inſtrumenta bonornm operum. 38
5 De obedientia. 48
6 De Taciturnitate. 53
7 De Humilitate. 55
8 De Diuinis Officijs in noctibus. 70
9 Quanti Pſalmi dicendi ſunt nocturnis horis. 73
10 Qualiter æſtatis tempore agatur nocturna laus. 79

11 Qua-

11 Qualiter diebus Dominicis Vigiliæ agantur. 80
12 Qualiter Matutinorũ ſolemnitas agatur. 85
13 Priuatis diebus qualiter agantur Matutini. 88
14 In Natalitijs Sanctorum qualiter agãtur Vigiliæ. 94
15 Alleluia, quibus tẽporibus dicatur. 95
16 Qualiter diuina opera per diem agantur. 98
17 Quot pſalmi per eaſdem horas canendi ſunt. 100
18 Quo ordine ipſi Pſalmi dicendi ſunt. 105
19 De diſciplina pſallendi. 110
20 De Reuerentia Orationis. 111
21 De Decanis Monaſterij. 115
22 Quomodo dormiant Monachi. 117
23 De Excommunicatione culparũ. 121
24 Qualis debeat eſſe modus excommunicationis. 124
25 De grauioribus culpis. 125

26 De

26 De his, qui ſine iuſſione Abbatis iunguntur Excommunicatis. 127
27 Qualiter debeat eſſe ſollicitus Abbas circa Excommunicatos. 128
28 De his, qui ſępius correpti non emendauerint. 133
29 Si debeant iterũ recipi Fratres exeuntes de Monaſterio. 135
30 De Pueris minori ætate qualiter corripiantur. 136
31 De Cellarario Monaſterij, qualis ſit. 137
32 De ferramentis, vel rebus Monaſterij. 141
33 Si quid debeant Monachi proprium habere. 144
34 Si omnes æqualiter debeant neceſſaria accipere. 146
35 De ſeptimanarijs coquinæ. 147
36 De infirmis Fratribus. 151
37 De Senibus, vel Infantibus. 154
38 De Hebdomadario Lectore. 155
39 De menſura ciborum. 162

40 De

40 De menſura potus. 171
41 Quibus horis oportet reficere Fratres. 176
42 Vt poſt completorium nemo loquatur. 179
43 De is, qui ad opus Dei, vel menſam tardè occurrunt. 185
44 De is,qui excommunicantur, quomodo ſatisfaciant. 189
45 De is,qui falluntur in Oratorio. 191
46 De is,qui in alijs quibuslibet rebus delinquunt. 193
47 De ſignificanda hora operis Dei. 195
48 De opere manuum quotidiano. 197
49 De Quadrageſimæ obſeruatione. 202
50 De Fratribus, qui longè ab Oratorio laborant,aut in via ſunt. 205
51 De Fratribus,qui non longè ſatis proficiſcuntur. 206
52 De Oratorio Monaſterij. 207
53 De Hoſpitibus ſuſcipiendis. 209
54 Si debet Monachus litteras, vel aliquid ſuſcipere. 214

55 De

55 De Veſtiarijs, & calcearijs Fratrũ 217
56 De menſa Abbatis. 237
57 De Artificibus Monaſterij. 238
58 De Diſciplina ſuſcipiendorum Fratrum. 241
59 De Filijs nobilium, aut Pauperum, qui offeruntur. 248
60 De Sacerdotibus, qui fortè voluerint in Monaſterio habitare. 261
61 De Monachis peregrinis qualiter ſuſcipiantur. 263
62 De Sacerdotibus Monaſterij. 266
63 De Ordine Congregationis. 268
64 De ordinando Abbate. 276
65 De Præpoſito Monaſterij. 283
66 De Hoſtiarijs. 287
67 De Fratribus in via directis. 289
68 Si Fratri impoſſibilia iniũgantur. 290
69 Vt in Monaſterio non præſumat alter alium defendere. 293
70 Vt non præſumat quiſquam aliquem cedere. 294

71 Vt obedientes ſibi ſint inuicem Fratres. 296
72 De zelo bono, quem debent habere Monachi. 298
73 De eo, quod non omnis obſeruatio iuſtitiæ in hac, ſit Regula conſtituta. 300

TITVLVS REGVLAE.

I. QVI leni iugo Chriſti colla ſubmittere cupis,
Regulæ ſpōtè da mētē,dulcia vt capias mella.
Hic teſtamenti veteris , nouique mandata .
Hic ordo diuinus , hicque caſtiſsima vita .
Hoc Benedictus Pater conſtituit ſacrū volumen,
Suiſque mandauit hæc ſeruanda Alumnis .
Simplicius,quod famulus, Chriſtique miniſter,
Magiſtri latens opus propagauit in omnes .
Vna tamen merces vtriſq; manebit in æuum .

VARIÆ LECTIONES, & Notæ in Titulum .

II. DE Auctore huius Tituli,ſeù Præfationis in Regulam, quicunque ex recētioribus, quos viderim, iudicium ferunt, ſine hæſitatione aſſerunt fuiſſe Simplicium, qui poſt Diuum Patrem Benedictum, eiuſque ſucceſſorem Conſtantinum, tertius Abbas extitit Caſinenſis. Petrus Diaconus, Yepes, Lauretus, Bellottus, Conſtantinus Caietanus,Menardus,Ioannes Baptiſta Marus,alijque.

Vulgatæ tamen huic opinioni nè ego fidentèr adhæream, obſtat primò, quòd in vetuſtioribus

Digitized by Google

membranis noſtræ Caſinẽſis Bibliothecæ,quæ ijs abundat, nullum inuenio Tituli huius veſtigium. Petrus Diaconus primùm ex noſtris ſuæ in Regulam expoſitioni hos verſus præfixit, & Simplicio adſcripſit, appoſita hac Epigraphe. *Incipit Titulus Sancti Simplicij Abbatis*, quàm in Codice etiam Vaticano reperiri, teſtis eſt Caietanus. Si autem Simplicium Auctorem agnoſceret, quis credat, in tàm denſa caligine per tot ſecula ante Petrum eam latuiſſe Caſini, vt omnium anteriorum zelum, & oculos præterierit, & nonniſi Petri æuo, atque diligentia è tenebris tandem emerſerit?

III. Deindè, ſi quæ ſunt apud nos membranæ (vtique recentiores Petro) quæ hos verſus referunt, non tribuunt illos Simplicio, ſed indefinitè aiunt; *Titulus Regulæ Beati Benedicti*. Quocircà conijcio, prædictum Titulum neque à poſterioribus Caſinenſibus agnitum fuiſſe, vt Simplicianum. Quinimò Cardinalis Bernardus, Riccardus, & Nicolaus, qui luculentas in Regulam expoſitiones nobis reliquerunt, nè mutire quidem de hoc Titulo dignati ſunt, illum penitùs omittentes.

Et ſanè, qua probabilitatis ſpecie Simplicio adſcriptus fuerit à Petro, mihi vſque modò non liquet; nam, quod in illis mentio fiat Simplicij, tantùm abeſt, vt Petro faueat, quin contrariæ potius opinioni ſuffragatur: tùm quia auctor illorum loquitur de Benedicto, & de Simplicio tanquam à ſe diuerſis, cum ait: *Vna tamen merces vtriſque manebit in æuum*: tùm magis, quia illud,

vtriſq;

vtriſque, idem Petrus intelligi vult, & rectè, de Benedicto, & de Simplicio: exponens enim hunc verſum, ſic ait: *Tamen vna merces in vtroque manet, ideſt illi, qui conſtituit bonam, & caſtiſsimam vitam*(nempè Benedicto) *& ei, qui ipsā propagauit in omnibus*. (nempè Simplicio) Ergò, ſi velis cum Petro, hæc ſcripta fuiſſe à Simplicio, ſenſus erit: vna tamen merces vtriſque, ideſt Benedicto, & mihi manebit in æuum. Quis autem tantæ frontis fuiſſe Simplicium, virum alioqui ſanctiſſimum ſuſpicetur, vt ipſe ſibi vnam, & æqualem cum Benedicto mercedem repromittere non erubuerit? Ergò, ſi fides Petri ſcholio, nulla fides Petro de titulo. Deceptus itaque, alios decepit, cui deceptioni inſiſtit etiam in Libello de viris illuſtribus Caſinenſibus. nam, poſtquam de Simplicio retuliſſet, *Regulam, quam ſuus magiſter ediderat, publicè legendam omnibus monachis tradidit*, ſic ſubiungit. *Verſus quoque nonnullos de eadem re deſcripſit*. Quibus verbis indicat proculdubio hos tituli verſus (vbi enim alij?) illoſque Simplicio, ex præconcepto errore, attribuit. Cum itaq; hic titulus Simplicio adſcribi iure nequeat, & aliàs in noſtris vetuſtioribus Codicibus alto ſilentio inuoluatur, quid reſtat arguere; niſi ab aliquo medij æui auctore præfixum Regulæ, & à Petro deindè per errorem Simplicio fuiſſe tributum? Codicem verò Vaticanum Petrò recentiorem exiſtimo.

Qui leni] Caietanus legit, *Qui leui*: niſi mendum irrepſit in typo.

Mandata] Cuncta mandata habēt Gallonius,

& Hæſtenus. Codex noſter 370. legit *cuncta doctrina*.

IV. *Hoc Benedictus Pater*] Deeſt Pater in Codice 370.

Conſtituit ſacrum volumen] Quod hic dicitur *Conſtituit*, Petrus Diaconus loco citato de viris illuſtribus vertit, *ediderat*. vbi Gallonius in Apologetico contra Bellottum vult legi, *Condiderat*, & exponit, *occultauerat*; ita vt ſenſus Petri fuerit, Regulam, quam magiſter, de ſe humiliter ſentiens, occultauerat, Simplicius publicauit. Verùm in Codice Petri, quem vt autographum, aut ſaltem Petro coæuum agnoſcimus, non eſt *condiderat*, ſed *ediderat*; & cum vrget Gallonius, ſi Regulam, inquit, iam Benedictus ediderat, hoc eſt in lucem emiſerat, quid opus fuiſſet, Simpliciū publicè eam legendam proponere? actum enim egiſſet. Facilè reſpondetur, verbum, ediderat, à Petro vſurpatum fuiſſe, non pro *publicauerat*, ſed pro *compoſuerat*, conſtituerat, edere enim in alterutra ſignificatione accipi poſſe, norunt Grāmatici. A Petro autèm acceptum fuiſſe in ſecunda, oſtendit verbum ſynonimum, *Conſtituit*, quod ex hoc titulo vertiſſe videtur in, *ediderat*.

Præterea, cum S. Benedictus Regulam ſuam B.Mauro in Gallias abeunti, tradiderit, illamque ſuis alumnis ſeruandam mandauerit, vt teſtatur præſens titulus: Ergò per manus ſaltem aliquorum verſabatur. Non ergò illam occultauerat. Theſaurus enim abſconditus cui prodeſt? & lex occulta, cui ſeruanda præſcribi poteſt?

Suiſque mandauit hæc ſeruanda alumnis] Sic Pe-

Petri Codex. Alius ex noſtris habet, Hæcque mandauit ſuis ſeruare alumnis.

Simplicius, quod famulus, Chriſtique miniſter]. Particula, *Quod*, deeſt in Caietano, Hæfteno, & alijs, ſed extat in Petro, & videri poteſt, cauſalis. vel *Quod* poſitum fuit pro *Qui*. Sic Petrus ipſe infra cap. 40. poſuit *Quod* pro *Quem*. *In libro, quod tranſtulit Minaus*, & in Leone Oſtien. non raro. In Gallonio deeſt, *quod famulus*, ſed legit, *Simplicius Chriſti miniſter*.

V. *Magiſtri latens opus propagauit*] Latebat Regula, non ad ſenſū Gallonij, de quo ſupra; ſed, vel quia non per omnia terræ climata dilatata erat, quod fecit Simplicius; vel quia non legebatur publicè in Conuentu Monachorum: Lauretus. Sed faciliùs dici poteſt, quòd latebat, quia priuatim tantùm ab aliquibus domeſticè legebatur: Simplicius verò illam publici iuris fecit; vt ſcilicet à publicis Amanuenſibus exemplari poſſet, & in Bibliothecis proſtare ad omnium commodum; quæ erat illorum temporum editio, correſpondens noſtris typis, & hoc propriè eſt propagare, ideſt prolatare, extendere, multiplicare.

In omnes] Codex Vaticanus, ex quo alij, legit, *Vt omnes*. Sed noſtri, & meliùs; *In omnes*; aliàs ſenſus eſſet ſuſpenſus.

Vna tamen merces vtriſque manebit in æuum] Gallonius in Apologetic. pag. 50. & Hæſtenus habent, *Vna tamen merces vtroſque manet in æternum*. Fortè ex prædicto Codice Vaticano.

SAN-

SANCTISSIMI P. BENEDICTI IN REGVLAM SVAM.

PROLOGVS.

VI. OBSCVLTA, ò fili, præcepta magiſtri, & inclina aurẽ cordis tui, & ammonitionem pij Patris libenter excipe, & efficaciter comple: vt ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ deſidiam receſſeras. Ad te ergò nunc meus ſermo dirigitur quiſquis, abrenuncians proprijs voluntatibus, Domino Chriſto vero regi militaturus, obedientiæ fortiſſima, atque præclara arma ſumis. In primis, vt quicquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici inſtãtiſſima oratione depoſcas: vt,

qui

Digitized by Google

qui nos iam in filiorum dignatus eſt numero computare; non debet aliquando de malis actibus noſtris contriſtari. Ita enim ei omni tempore, de bonis ſuis in nobis, parendum eſt: vt non ſolùm iratus pater ſuos non aliquãdo filios exhæredet:ſed nec vt metuendus Dominus, irritatus malis noſtris,vt nequiſſimos ſeruos perpetuam tradat ad pœnam, qui eum ſequi noluerint ad gloriam.

VII. Exurgamus ergò tandem aliquando,excitante nos Scriptura, ac dicente: Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere: Et apertis oculis noſtris ad deificum lumen, attonitis auribus audiamus,diuina cotidie clamans, quid nos ammonet vox dicens: Hodie,ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra: Et iterùm, qui habet aures audiendi, audiat, quid Spiritus dicat Eccleſijs. Et quid dicit? Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos.

Rom. 13. *Pſal. 94.* *Apoc. 2.* *Pſal. 33.*

Cur-

Ioan.12. Currite, dum lumen vitæ habetis: nè tenebræ mortis vos comprehendant. Et, quærens Dominus in multitudine Populi, cui hæc clamat, operarium ſuum, iterum dicit: *Pſal. 33.* Quis eſt homo, qui vult vitã, & cupit videre dies bonos? Quod, ſi tu audiens, reſpondeas, Ego: dicit tibi Deus: Si vis habere veram, & perpetuam vitam; prohibe linguam tuam à malo, & labia tua nè loquantur dolum. Deuerte à malo, & fac bonum: inquire pacẽ, & ſequere eam. Et, cum hæc feceritis, oculi mei ſuper vos, & aures meæ ad preces veſtras. Et antequam me inuocetis, *Eſa.65.* dicã vobis: Ecce adſum Quid dulcius nobis hac voce Domini, inuitantis nos, fratres cariſſimi? Ecce pietate ſua demonſtrat nobis Dominus viam vitæ.

VIII. Succinctis ergò fide, vel *Ephe. vlt.* obſeruantia bonorum actuum lumbis noſtris, per ducatum Euangelij pergamus itinera eius: vt mereamur eum,

qui

qui nos vocauit in regnum ſuum, videre. In cuius regni tabernaculo ſi volumus habitare; niſi illuc bonis actibus curritur, minimè peruenitur. Sed interrogemus cum Propheta Dominum, dicentes ei: Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo: aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Poſt hanc interrogationem, fratres, audiamus Dominum reſpondentẽ, & oſtendentem nobis viam ipſius tabernaculi, ac dicentem: Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam: qui loquitur veritatem in corde ſuo: qui non egit dolum in lingua ſua: qui non fecit proximo ſuo malum: qui opprobrium non accepit aduerſus proximũ ſuum: qui malignum diabolum, aliqua ſuadentem ſibi, cum ipſa ſuaſione ſua à conſpectibus cordis ſui reſpuens, deduxit ad nihilum, & paruulos cogitatus eius tenuit, & alliſit ad Chriſtum: qui timentes Dominum, de bona obſer-

Pſal. 14.

Pſal. 136.

ſeruantia ſua non ſe reddunt elatos:
ſed ipſa in ſe bona non à ſe poſſe; ſed
à Domino fieri exiſtimantes, operan-
tem in ſe Dominum magnificant, il-
Pſal. 113. lud cum Propheta dicentes: Non no-
bis Domine, non nobis, ſed nomini
1.*Cor.* 15. tuo da gloriam. Sicut nec Paulus A-
1.*Cor.*1. poſtolus de prædicatione ſua ſibi ali-
quid imputauit, dicens: Gratia Dei sũ
2.*Cor.*10. id, quod ſum. Et iterum ipſe dicit: Qui
gloriatur, in Domino glorietur. Vn-
*Matth.*7. de & Dominus in Euangelio ait: Qui
audit verba mea hæc, & facit ea; ſimi-
labo eum viro ſapienti, qui ædificauit
domum ſuam ſupra petram: venerũt
flumina, flauerunt venti, & impege-
runt in domum illam, & non cecidit;
quia fundata erat ſupra petram. Hæc
complens Dominus, expectat cotidiè,
his ſuis ſanctis monitis factis nos re-
ſpondere debere. Ideò nobis, propter
emendationem malorum huius vitæ,
dies ad indutias relaxantur, dicente

Apo-

Apoſtolo: An neſcis, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Nam pius Dominus dicit: Nolo mortem peccatoris: ſed vt conuertatur, & viuat. Cum ergò interrogaſſemus Dominum, fratres, de habitatore tabernaculi eius, audiuimus habitandi præceptum: Sed, ſi compleamus habitatoris officium, erimus hæredes Regni Cœlorum. Ergò præparãda ſunt corda, & corpora noſtra, ſanctæ præceptorum obediẽtiæ militanda: &, quod minus habet in nos natura poſſibile; rogemus Dominum, vt gratiæ ſuæ iubeat nobis adiutorium miniſtrare. Et, ſi fugientes gehennæ pœnas, ad vitam perpetuam volumus peruenire; dum adhuc vacat, & in hoc corpore ſumus, & hæc omnia per hanc lucis viam vacat implere: currendum, & agendum eſt modò, quod in perpetuum nobis expediat. *Rom. 2.* *Ezech. 18.*

IX. Conſtituenda eſt ergò à nobis

bis Dominici ſcholà ſeruitij; in qua inſtitutione nihil aſperum, nihil graue nos conſtituturos ſperamus. Sed, & ſi quid paululum reſtrictius, dictante æquitatis ratione, propter emendationem vitiorum, vel conſeruationem caritatis, proceſſerit: non illicò, pauore perterritus, refugias viam ſalutis, quæ non eſt niſi anguſto initio incipienda. Proceſſu verò conuerſationis, & fidei, dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei: vt ab ipſius nunquam magiſterio diſcedentes, in eius doctrina vſque ad mortem in Monaſterio perſeuerantes, paſſionibus Chriſti per patientiam participemur; vt & regni eius mereamur eſſe conſortes.

Matth. 7.

1.Cor. 1.

VA-

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

X. O*Bſculta*] Vulgatæ omnes editiones legunt, *Auſculta*. Vetuſtiſſimæ tamen membranæ Caſinates, nulla excepta, conſtanter dant *Obſculta*. Quam lectionem referunt antiquiores etiam Codices Sublacenſes, aliorumque Cœnobiorum: vt proindè ex Autographo illam fluxiſſe credendum ſit. Eandem explicant, & defendunt Petrus Diaconus, Bernardus, Riccardus, Nicolaus ex Caſinatibus; & præterea Rabanus, Smaragdus, Codex Abbatis Ioannis, alijque Commentatores.

Et quidem Smaragdus, *ſunt*, inquit, *qui eum* (Benedictum) *auſu temerario reprehendere conantur, dicentes; Auſculta debuit dicere, non Obſculta, neſcientes, quia ſicut rectè dicitur obaudi, & obtempera, & obſecunda, & alia multa talia: ità rectiſſimè dici poteſt Obſculta*. Eadem habet Rabanus. Expoſitio verò, quæ nomine Pauli Diaconi ſignatur in Codice Abbatis Ioannis, *quidam libri*, inquit, *habent Auſculta: quidam verò Obſculta. Sed ſiuè dicas Auſculta per Au, ſiuè Obſculta per Ob, nil obſtat: eo quod Auſcultare dicitur, quaſi auribus ſcultare, hoc eſt auribus audire: Obſculta verò eſt communiter audire; quia Ob in hoc loco pro ſimul ponitur*. Videtur itaque hic auctor aliquale diſcrimen agnoſcere inter *Obſculta*, & *Auſculta*.

XI. Mihi tamen, ſi mea me non fallit conie-

ctura.

ctura, videtur, *Obſculta* eſſe idipſum verbum *Auſculta*; ſed diuerſa tantùm formula pronunciatū: eo quod ſeculis illis fœdatæ latinitatis,& ſemibarbaris ſic vulgo loquerentur. Dum enim primam vocalē non ità congruè aperto ore, nec ſuo claro ſono proferrent, degenerabant in ſonū quartæ vocalis: vnde pro *Mater*, barbara dialecto, proferebant *Moter*, *A* in *O* abeunte, quod obſeruauit,inter alios,Voſſius de vitijs ſermonis lib.1. cap.2. Frequentiſſimo etiam vſu illorum temporum *V* conſonans in *B* commutabatur, & è contra. Cuius rei adeò obuia ſunt exempla in ipſa Regula, in Paulo Diacono, Anaſtaſio Biblioth. alijſque mediæ ætatis auctoribus, præſertim græciſſantibus, vt otioſum videri queat illa referre. Certè ipſum verbum *Auſculta* reperimus aliquando ſcriptum per *B*, nempe *Abſculta*. Bernardo, Nicolao, & alijs, ſicut *Nobitius*, *Octabus*, *Boluntas*, *Viuere* pro *bibere*. Secula igitur illa ſordentis, imò marcentis Latinitatis (quando nō vt quiſque debuerat, ſed vt poterat,loquebatur) animo reuoluentibus, facilè fuerit coniectare, S. P. Benedictum,dum concipit *Auſculta*,ſcripſiſſe illud, ſicut vulgò pronunciabatur,& ſcribebatur, literis commutatis: facto nimirum priùs ex Latino *Auſculta* Barbarum *Abſculta*,ſeù *Ouſculta*;tum verò *Obſculta*: & conſequenter inter *Auſculta*, & *Obſculta* pronunciationis tantùm, & dialecti; non etiam ſenſus differentiam vllam intercedere. Quod confirmat Nicolaus noſter, qui, *aliam literam* ait, *habere Abſculta*: *ſed Obſculta magis eſſe in vſu*.

Quod

XII. Quod, ſi mea hæc arriſerit conie&ura, ſuperuacaneum erit, pro huius variæ pronunciationis origine indaganda, ad vetuſtiora, & meliora Latini ſermonis tempora recurrere, quando *O*, & *Au* promiſcuè vſurpabantur: vt *Oſculum*, & *Auſculum*, *Olla*, & *Aulla*, *Offa*, & *Aufa*, *Plauſtrum*, & *ploſtrum*, *Cautes*, & *cotes*: indeque arguere, in poſteros tranſiuiſſe; vt & *Auſculta* indifferenter dicerent, & *Oſculta*, vel *Obſculta*. Nam confuſa illa Barbaris, ac Latinis S. P. noſtri, & quæ deinceps conſecuta ſunt ſecula, peregrinæ potiùs linguæ, ac dialecti contagium, quàm priſcam Romanæ dictionis, cum Imperio iam collapſam, caſtimoniam, & proprietatem redolere videri poterunt.

XIII. Quidquid tamen de his fuerit, certum arbitror, *Obſculta*, vel *Auſculta* hìc non ſignificare *obedire*, *obtemperare*, aut *morem gerere*, quod placuit Perez, Hæfteno, alijſque communiter: ſed ſignificat potiùs *attente audire*, & *diligenter attendere animo*. Quamuis enim vtrunque ſenſum reddere poſſit; in primo tamen conſtruitur cum tertio dandi caſu. Terent. *Si verè facias, auſcultes mihi*. Plaut. *Ego nè auſcultem tibi?* Cic. *Mihi auſculta*. In ſecunda verò acceptione regit quartum caſum. Plaut. *Libenter te auſculto loqui*. In textu autem noſtro eſt, *Auſculta, ò fili, præcepta*, ex illo Prouerb. 4. *Fili auſculta ſermones meos*. Et quidem priùs diligenter audienda ſunt præcepta: deindè adimplenda per obedientiam. Et hunc ordinem ſeruauit Prologus. *Auſculta*, inquit, *ò Fili, præcepta Magiſtri, & inclina aurem cordis tui, &*

admo-

admonitionem pij Patris libenter excipe: Ecce attentam auditionẽ, & auſcultare præcepta. Subdit deindè. *Et efficaciter comple*. Ecce obedientiam,& auſcultare præceptis,ſeù præcipienti. Auſculto autem ab aurium cultu, ducitur, ideſt auribus, ſeu auriculis cultum adhibeo,& diligenter audio: Nam veteres *Auſes* dicebant pro *Aures*,& *Auſcula* pro *Auricula*. Scal. & Martin.

Magiſtri] Nempè Dei, vel Chriſti,vt ex contextu liquet, cum ait, *Vt ad eum per obedientiæ laborem, &c.* Alienum quippè eſt à Magiſtro totius humilitatis Benedicto; vt ſe Magiſtrum vocet. Petrus Damiani, Rabanus, Trithemius, & alij communiter.

Ammonitionem] Pro *Admonitionem*. Frequenti vſu veterum, & infra *Ammonet*.

Voluntatibus] Editi paſſim legunt, *Voluptatibus*. Sed textus Abbatis Ioannis legit, *Voluntatibus*, quem ſequuntur omnes noſtri Caſinenſes. Ego verò ſuſpicor, variam hanc lectionem originem duxiſſe ex eo, quod apud veteres *Voluntas* ſcribebatur *Volumptas*, ſicut *Domnus Dompnus*, *Damnum Dampnum*. Vndè facilè fuit,vt alterum prò altero à Librarijs poneretur, reiecta *M* inſerta.

Vt quicquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici inſtantiſsima deuotione depoſcas] Nimirũ, quod, excitante Deo,inchoas bonum, Deo adiuuante, perficias; vt Caſſiani, & Maſſilienſium error obſtruatur. Quam excitantem Dei gratiam benè agnouit,& aſſeruit S. P. Benedictus,cum ſubiunxit, *Exurgamus ergò tandem, excitante nos Scri-*

ptura,

ptura, &c. & infra. *Antequam me inuocetis, dicam vobis, Ecce adſum.* Ipſam enim orationem præcedit diuina gratia, ſine qua nec orare, nec cogitare quicquam boni poſſumus.

XIV. *De bonis ſuis in nobis, parẽdum eſt*] Acutum hìc Acutiſſimus Caramuel inijcit ſcrupulum, quaſi his verbis paſſiuus tantùm humanæ voluntatis concurſus, ad pietatis opera, ex Lutheri, & Caluini dogmate, indicari videatur. *Non enim* (inquit) *dictum eſt à S. Patre, nobis parendum eſt, qui ſenſus eſſet actiuus: ſed, In nobis parendum eſt, qui eſt ſenſus paſsiuus.* Subdit tamen, *ſenſum eſſe actiuum, eo modo, quo dicimus, Amandum eſſe nobis Deum, prò; ſumus Deum amaturi. Nec cõtra hãc interpretationem militat illud, In nobis: tùm quia Benedicti Grammatica non eſt Ciceroniana: tùm quia potuit illud, In, irrepſiſſe; quo ſublato, ſenſus eſt manifeſtus; puta ſi actiuè diceremus, nobis parendum eſt Deo de bonis ſuis, hoc eſt ex gratia ſua,* ſic Illuſtriſſimus Caramuel.

Sed facillimè remouet ſcrupulum vna virgula inter *In nobis*, & *Parendum*, poſita. Senſus enim non eſt, quòd, *In nobis parendum ſit Deo de bonis ſuis:* ſed potiùs, quod, *Deo parendum ſit de bonis ſuis in nobis*, ideſt de gratia, & auxilio Dei, in nobis recepto (ſiuè per modum actus, & impulſus, ſiuè per modum formæ, & habitus) quia ſcilicet ipſa obedientia noſtra donum Dei eſt, qui tamen, prò ſua liberalitate, facit, vt munera ſua ſint merita noſtra. Quare, ſi per ea tempora interpungendi vſus extitiſſet, vna coma, opportunè appoſita, ſcrupulum Caramuelis præuertiſſet, quem

etiam præuertit eorundem verborum collocatio apud Trithemium. *Ità enim omni tempore de bonis ſuis in nobis ei parendum eſt*. Senſus itaque eſt apertè actiuus; neque anſam his verbis Luthero præbuit Benedictus, aut Orbilij ferula vapulabit.

Iratus Pater] Vulgati præmittunt, *Vt*, quæ particula nuſquam apud noſtros.

Irritatus malis] Quidam legunt, *Iratus*. Alonſus de S. Victores. Sed, *irritatus* legendum.

Perpetuam] Vacat hoc adiectiuum in multis editis.

XV. *Deificum lumen*] Ideſt Gratiam, quæ deifica vocatur, eò quod Deos facit. Gratia enim participatio quædam eſt naturæ diuinæ. Quod, formaliter de habituali, effectiuè de actuali intelligas. Deifica inſtrumenta, quæ ſcilicet Deus fecit; vetus, & nouum teſtamentum appellauit. Optatus Mileuitanus lib. 1. *A proconſule*, inquit, *hæc pars ſententiæ ità dicta eſt: Felicem autem religioſum Epiſcopum liberum eſſe ab exuſtione inſtrumentorum deificorum, manifeſtum eſt*. Et infra. *Scripturas deificas*. Apud Voſs.

Attonitis] Quidam legendum putant, *Attentis*. Ardo in Vita S. Benedicti Abbatis Anianẽſis. *Abſque mora ſurgentes, attonitis auribus, Sacerdotem expectent*. Quod habet energiam quandam. Sen. Trag. in Herc. æth. *Sed quis non modicus fragor Aures attonitas mouet?*

Deuerte] Prò, *Diuerte*, frequentiſſimè apud Plautum, apud Quintil. & Tacitum.

Chariſsimi] In antiquioribus Codicibus Aſpiratio

ratio ponitur antè, ſic, *Hcariſſimi*.

XVI. *Succinctis ergò Fide, vel obſeruantia bonorum actuum*] Prò particula, *Vel*, reponunt cõmuniter, *Et*, cũ ſenſus eſſe debeat coniunctiuus, non diſiunctiuus. Non enim ſola fides ſufficit, ſine obſeruantia bonorum actuum. Cæterum ipsũ etiam, *Vel*, pro, *Et*, in ſignificatione copulatiua vſurpari apud Iuriſtas, & Grammaticos, notum eſt, idque frequens noſtro Legislatori, & alijs antiquis.

Lumbis noſtris] Addunt aliqui, *Et calciatis pedibus in præparatione Euangelij pacis*. Sed vacant in membranis Caſinenſibus, addita, vt opinor, à poſterioribus ad complendam ſententiam, ſumptam ex Apoſtolo ad Epheſios, non penitus tamen omiſſam, ſed compendio indicatam à S. Patre, cum ſubiungit, Per ducatum Euangelij.

Curritur] *Currendo*, legunt moderni. Sed *Curritur*, aptiùs currit, cui numeroſè reſpondet *Peruenitur*.

Operantem in ſe Dominum] Intellige operantem in ſe, & ſecum; vt ſupra, ex illo Pſalmiſtæ, *Omnia opera noſtra operatus eſt nobis*.

Expectat cotidiè] Alij. *Expectat nos quotidiè*] Sed non aduertunt illud, *Expectat*, conſtrui cum ſequentibus verbis *Nos reſpondere debere*, ſcilicet expectat nos reſponſuros. Quare abundaret alterutrum pronomen, *Nos*; & ideò concordia Regularum omittit ſecundum, retento primo; ſicut noſtri omittunt primum, retento ſecundo.

Ergò præparanda ſunt] clauſula hæc ſumpta eſt ex Epiſtola prima Clementis Romani ad Iacobũ

Fratrem Domini, vt obſeruauit Hæſtenus,& ſanè fere tota S.P. noſtri locutio opus eſt teſſellatum, ex Sacræ Scripturæ, Sanctorumque Patrum dictis intextum.

XVII. *Militanda*] Sic habent vniuerſi vetuſtiores Codices Caſinenſes, pro quo impreſſi legunt, *Militatura*. At Actiua verba in Paſſiua, & Neutra in Deponentia, & è contra non infrequēter commutata reperire eſt in Scriptoribus eius ætatis. *Exulor*, pro *Exulo*; *Deſolor* pro *Deſolo*: *Fiſtulor* pro *Fiſtulo*: *Litigor* pro *Litigo*: *Furo* pro *Furor*: *Inauxilior* paſſiuè ex *Auxilior* deponente. Vide Voſſium de vitijs ſerm.lib.4.

In nos] Modernis placuit, *In nobis*.

Lucis viam] Ex antiquiſſimis membranis noſtris, & ſanè optimè; Metaphoræ ſiquidem viæ correſpondet verbum, *Currendum*. Codex Ioannis legit, *Vitam*. Recentiores *Lucis vſuram*, ſed ineptè.

Participemur] Fortè ex vernacula locutione, *Stamo fatti partecipi*] Vulgati, *Participemus*, ſumpta & hæc ex Clemente Romano.

INCIPIT REGVLA SANCTISSIMI P. BENEDICTI.

De Generibus, vel vita Monachorum.

CAP. I.

XVIII. MOnachorum quatuor eſſe genera, manifeſtum eſt. Primum, Cœnobitarum: hoc eſt Monaſteriale, militans ſub Regula, vel Abbate. Deindè ſecundum genus eſt Anachoretarum, ideſt Heremitarum; horum, qui non conuerſionis feruore nouitio; ſed Monaſterij probatione diuturna didicerunt contra Diabolum, multorum ſolacio iam docti, pugnare; & bene inſtructi fraterna ex acie ad ſingularem pugnam

Here-

Heremi, ſecuri iam ſine conſolatione alterius,ſola manu,vel brachio contra vitia carnis,vel cogitationum, Deo auxiliante, pugnare ſufficiunt. Tertium verò Monachorum teterrimũ genus eſt Sarabaitarum, qui nulla regula approbati,experientia magiſtra ſicut aurum fornacis: ſed in plumbi natura molliti, adhuc operibus ſeruantes ſeculo fidem, mentiri Deo per tõſuram noſcuntur. Qui bini,aut terni,aut certe ſinguli,ſine paſtore,non Dominicis, ſed ſuis incluſi ouilibus,pro lege eis eſt deſideriorum voluptas: cum quicquid putauerint, vel elegerint, hoc dicunt Sanctum: & quod noluerint, hoc putant non licere. Quartum verò genus eſt Monachorũ, quod nominatur Girouagum, qui tota vita ſua per diuerſas prouincias ternis,aut quaternis diebus per diuerſorum cellas hoſpitantur,ſemper vagi,& nunquam ſtabiles, & proprijs voluptatibus, & gulæ illecebris ſeruientes, & per omnia dete-

riores Sarabaitis: de quorum omnium miſerrima conuerſatione melius eſt ſilere, quàm loqui. His ergò omiſſis, ad Cœnobitarum fortiſſimum genus diſponendum, adiuuante Domino, veniamus.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

IN titulo. *De Generibus, vel vita monachorum*] Hunc titulum in vno ex noſtris Codicibus ſic inſcriptum inuenio. *De Regula, vel vita Monachorum.*

Vel] Alij. *Et.*

XIX. *Cænobitarum*] Quidam noſtri Codices ſcribunt *Cænouitarum*. Cœnobium ex Græco vitam communem ſignificat. Dominicus Magrus in ſua notitia Vocabulorum Eccleſiaſticorum. *Cænobitæ*, ſeù *Cænouitæ*, communiter viuentes.

Teterrimum]. *Deterrimum* appellatur à Diuo Hieron. à quo ſumpſiſſe videtur S.P. Benedictus. Verùm, *teterrimum*, benè legitur Plaut. in Moſtell. *Omnium teterrime hominum*. Cic. 1. Tuſc. *Ille omnium perditorum ità ſimilis, vt eſset facilè teterrimus.*

Anachoretarum, ideſt Heremitarum] Licet aliqualis inter duo hæc nomina ſit differentia (nam Eremitæ ſunt, qui ſolitudines, & deſerta loca inco-

colunt, Anachoretæ verò, qui ſe in cellis includunt procul ab hominibus, de quo vide Caſſianum, Iſidorum, & Petrum Damiani de vita ſolitaria. Contra verò Hieron. *Anachoretas* intelligit Eremi habitatores Epiſt. 22. ad Euſtochium) cõmuniter tamen confunduntur, vt in textu.

XX. *Sarabaitarum*] Ægyptium nomen, de quo Iſidorus lib. 5. de Off Eccleſ. cap. 15. *Ab eo, quod ſemetipſos à Cœnobiali diſciplina ſequeſtrant, ſuaſque appetunt liberi voluntates, Ægyptiorum lingua Sarabaïtæ, ſiuè Renuitæ nuncupantur*. Alij Hebræum vocabulum eſſe putant. De Sarabaitis, vide Caſſianum collat. 18. cap. 7.

Appellantur autem *Renuitæ*, ſeù *Rebellantes*, cò quod aliorum imperia, vel voluntates implere nolunt; ſed ſuo magis arbitrio, ſuaque diſpoſitione cupiunt viuere, Rabanus, & Gloſſarium in Regulam ex antiquo Codice Monaſterij S. Mariæ Monialium Capuæ apud V. C. Camillum Peregrinum. Et apud nos Caſini cod. 370.

Experientia Magiſtra] *Experientia Magiſtri*, non ità congruè legit Menardus.

Qui bini, aut terni] Ex Diuo Hieron. ad Euſtoch.

XXI. *Per tonſuram*] Clericalis, & Monaſticæ tonſuræ vſum ab Apoſtolis, imò à Nazareis Hebræorum manaſſe, ſcribitur ab Iſidoro lib. 2. de Diu. Off. *Tonſura*, inquit, *Eccleſiaſtica vſus à Nazareis, niſi fallor exortus eſt. Huius ergò exempli vſus ab Apoſtolis introductus eſt, vt qui diuinis cultibus mancipati Domino conſecrantur, quaſi Nazarei, id eſt Sancti Dei, crine præciſo innouentur*. Germanus

manus tamen Patriarca Conſtantinopolitanus tom.8.Bibl. PP. aliundè hunc tonſuræ vſum apud Clericos deducit, *Cum,* inquit, *Miſsus eſset Petrus ad prædicationem Domini, & Magiſtri, tonſus eſt ab ijs, qui eius ſermoni non credebant, vt illuderetur ab ipſis, eique Magiſter Chriſtus benedixit, & infamiam in honorem, illuſionem in gloriam conuertit.* S.Vittores. Qualis autem fuerit olim Monaſticæ tonſuræ, ſeù raſuræ forma, ex auctoribus, & vetuſtiſſimis picturis conſtat, Concil. Tolet. 4. can.40. Certè, qua vtimur nos Caſinenſes, vt raſo capite toto, paruus circulus, ſeù corona capillorum relinquatur in girum ſupra aures, antiquiſſimi moris eſſe facilè ſuadetur, tùm ex Iconibus, tùm ex ipſa Summi Pontificis tonſura, qui noſtra adamuſſim vtitur vſque hodie, ex antiquo ritu monachorum, qui, quoniam Apoſtolicæ Sedi per tot ſecula præfuerunt, facilè monaſticas conſuetudines in illum inuexerunt, vel ex illa aliquid traxerunt. Simile eſt de Birro, ſeù mozzetta cum Caputio, quod olim nõ erat paruum, ſicut, quo nunc vtuntur Epiſcopi, & Cardinales; ſed operiebat caput ad eam formam, quam retinent noſtræ Congregationis Abbates: vnde Birrum ab antiquis vocabatur Caputium. Hinc etiã tegumentum capitis clericorum vocatur Birretum, nempè paruum birrum; erat enim olim ſubtegmen capitis ſub Birro: nunc verò in aliam formam tranſiuit, vt ſub illo vtamur alio Birreto. Cappa etiam Cardinalium ex monachorum vſu proceſſit, ſicut & nomina Decani, & Prioris in

ſacro Senatu, vide Magrum, Hæſtenum, Caſalium, & alios.

XXII. Porrò tonderi, & radi accipiebatur olim in ſignum luctus, & mæroris: non tamen apud omnes gentes. Pro quo obſeruari poteſt, Nationes illas, quibus in vſu erat comam, barbãque nutrire, vt Hebræis, & Græcis, conſueuiſſe in luctu radi, atque tonderi. Hinc raſura, & caluitium Hebræis in Sacra Scriptura prædicitur in omen mæroris, & luctus. Iſaiæ 22. *Et vocabit Dominus Deus ad plãctum, & ad caluitium.* Micheæ 1. *Decaluare, & tondere ſuper filijs deliciarum ſuarum, quoniam captiui ducti ſunt.* Sueton. etiam in Caligula cap. 5. In morte Germanici *Regulos quoſdam* (non vtiquè Romanos) *barbam poſuiße*, ait, *& vxorum capita raſiſſe ad indicium maximi luctus*. Nationes verò illæ, quæ de more tondebantur, vt Romani, in ſignum mæſtitiæ ſummittebant barbam, & capillos. Idem Sueton. in Caio Iulio. *Diligebat adeò* (milites) *vt audita clade TiturIana, barbam, capillumque ſummiſerit; nec ante dempſerit, quàm vindicaſſet.* Item Vlpianus l. veſtem ff. de Iniurijs, & famoſis libellis. Radi autẽ caput proprium erat ſeruorum. Ariſtophanes. *Cur ſeruus cum ſis, comam nutris?* & Pomponius Lætus refert, *Conſuetudinis fuiſse, Captiuos currum triumphantis ſequi capite abraſo, in ſignum ſeruitutis.* Cum igitur Monachus lugentis, & ſerui Dei officium habeat; iure tonderi, & radi debuit, & hoc ex ritu Eccleſiæ Occidentalis: quem vſum tenuiſſe Sanctum etiam P. B. ſatis probabile mihi eſt.

Cer-

XXIII. Certè in pictura quadam initio Codicis, qui dicitur Abbatis Ioannis ab annis ferè octingentis, S.P. Benedictus exprimitur ſine barba promiſſa, cum qua à modernis pingi conſueuit. Orientales verò tùm Clerici, tùm Monachi barbam nutrire conſueuerunt. Baron.tom. 1. Anno 58. Idolorum tamē Sacerdotes caput, & barbam radebant: Baruch. cap. 6. *In domibus eorum Sacerdotes ſedent habentes tunicas ſciſsas, & capita, & barbam raſam.*

Girouagi] Qui &, *Circumcelliones*, & in gyrum vagantes.

Fortiſsimum genus] Non enim patientiæ ſolum; ſed & fortitudinis laudem promerentur Cœnobitæ, qui, non modo imperturbati ſuſtinent moleſtias omnes (quod proprium eſt Patientiæ) ſed ſponte obuiam illis eunt, cum oportet, quod Fortitudinis eſt. D. Th. 2. 2. quæſt. 66. art. 5. de his locutus videtur Iſaias cap. 5. *Super hoc laudabit te Populus Fortis, Ciuitas gentium robuſtarum laudabit te.*

Qualis debeat eſſe Abbas.

CAP. II.

XXIV. ABbas, qui præeſſe dignus eſt Monaſterio, ſemper meminere debet, quod dicitur, & nomen maioris factis implere. Chriſti

enim agere vices in Monaſterio creditur; quando ipſius vocatur prænomine, dicente Apoſtolo: Accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater. Ideòque Abbas nihil extra præceptum Domini (quod abſit) debet docere, aut conſtituere, vel iubere: ſed iuſſio eius, vel doctrina fermentum diuinæ iuſtitię in diſcipulorum mentibus cōſpergatur. Memor ſit ſemper Abbas, quia doctrinæ ſuæ, vel diſcipulorum obedientiæ, vtrarumque rerum in tremendo iudicio Dei facienda erit diſcuſſio. Sciatq; Abbas, culpę paſtoris incumbere, quicquid in ouibus paterfamilias vtilitatis minus potuerit inuenire. Tantundem iterum erit liber; vt ſi inquieto, vel inobedienti gregi paſtoris fuerit omnis diligentia attributa; & morbidis earum actibus vniuerſa fuerit cura exhibita, paſtor earum in iudicio Domini abſolutus, dicat cum Propheta Domino:

Rom. 8.

Pſal. 39.

Iuſti-

Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo, veritatem tuam, & ſalutare tuum dixi: ipſi autèm contemnentes, ſpreuerunt me. Et tunc demum inobediẽtibus curæ ſuæ ouibus pęna ſit eis præualens ipſa mors.

VXV. Ergò, cum aliquis ſuſcipit nomen Abbatis, duplici debet doctrina ſuis præeſſe diſcipulis: ideſt omnia *Act. 1.* bona, & ſancta factis ampliùs, quàm verbis oſtendat: vt capacibus diſcipulis mandata Domini verbis proponat: duris vero corde, & ſimplicioribus, factis ſuis diuina præcepta demonſtret. Omnia verò, quæ diſcipulis docuerit eſſe contraria, in ſuis factis indicet non agenda: ne alijs prædicans, ipſe repro- *1. Cor. 9.* bus inueniatur. Ne quando illi dicat Deus peccanti: Quare tu enarras iuſti- *Pſal. 49.* tias meas; & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu vero odiſti diſciplinam, & proieciſti ſermones meos poſt te. Et, qui in fratris tui ocu- *Matth. 7.*

lo

lo feſtucam videbas, in tuo trabem nõ vidiſti? Non ab eo perſona in Monaſterio diſcernatur. Nõ vnus plus ametur, quàm alius; niſi quem in bonis actibus, aut obedientia inuenerit meliorem. Non cõuertenti ex ſeruitio præponatur ingenuus; niſi alia rationabilis cauſa exiſtat. Quod, ſi ita, iuſtitia dictante, Abbati viſum fuerit, & de cuiuslibet ordine id faciat: ſin alias propria teneant loca: quia, ſiue ſeruus, ſiue liber, omnes in Chriſto vnum ſumus, & ſub vno Domino æqualem ſeruitutis militiam baiulamus: quia nõ eſt apud Deum perſonarum acceptio. Solummodo in hac parte apud ipſum diſcernimur, ſi meliores ab alijs in operibus bonis, & humiles inueniamur. Ergò æqualis ſit ab eo omnibus caritas, vna præbeatur omnibus ſecũdum merita diſciplina.

1. Cor. 12. Rom. 12. Galat. 2. Ephes. 6 1.

In doctrina ſua namque Abbas Apoſtolicam debet illam ſemper formã

ſer-

ſeruare, in qua dicit: Argue, obſecra *1. Tim. 4.*
increpa: ideſt, miſcens temporibus tempora, terroribus blandimenta; dirum magiſtri, pium Patris oſtendat affectũ: ideſt, indiſciplinatos, & inquietos debet duriùs arguere: obedientes autem, & mites, & patientes, vt in melius proficiant, obſecrare. Neglegentes autem, & contemnentes, vt increpet, & corripiat, ammonemus. Neque diſſimulet peccata delinquẽtium: Sed mox, vt cœperint oriri, radicitus ea, vt præualet, amputet; memor periculi Heli Sacerdotis de Sylo. Et honeſtio- *1. Reg. 2.*
res quidem, atque intelligibiles animos prima, vel ſecunda ammonitione verbis corripiat: Improbos autem, & duros, ac ſuperbos, vel inobedientes, verberum, vel corporis caſtigatione in ipſo initio peccati cohercear, ſciens ſcriptum: Stultus verbis non corrigi- *Prouer. 23.*
tur: Et iterùm: Percute filium tuum virga, & liberabis animã eius à morte.

Me-

XXVI Meminere debet ſemper Abbas,quod eſt;meminere,quod dicitur, & ſcire, quia, cui plus cõmittitur, plus ab eo exigitur: Sciatq; quã difficilem, & arduam rem ſuſcipit regere animas, & multorũ ſeruire moribus. Et alium quidem blandimentis, alium verò increpationibus, alium ſuaſionibus, & ſecundum vniuſcuiuſque qualitatem, vel intelligentiam, ita ſe omnibus conformet, & aptet,vt non ſolũ detrimenta gregis ſibi commiſſi non patiatur;verum in augmentatione boni gregis gaudeat. Ante omnia, nè, diſſimulans,aut paruipendens ſalutem animarum ſibi commiſſarum,plus gerat ſollicitudinem de rebus trãſitorijs, & terrenis,atque caducis: ſed ſemper cogitet, quia animas ſuſcepit regendas, de quibus & rationem redditurus eſt. Et ne cauſetur de minori forte ſubſtantia, meminerit ſcriptum: Primum quærite Regnum Dei, & iuſti-

Math. 6.

tiam

tiam eius, & hæc omnia adijciẽtur vobis. Et iterum: Nihil deeſt timentibus eum. Sciatque quia qui ſuſcipit animas regẽdas, paret ſe ad rationem reddendam. Et quantũ ſub cura ſua Fratrum ſe habere ſcierit numerũ, agnoſcat pro certo, quia in die Iudicij ipſarum omnium animarum eſt redditurus Domino rationem, ſine dubio addita, & ſuæ animæ. Et ita timens ſemper futuram diſcuſſionem Paſtoris de creditis ouibus cum de alienis ratiocinijs cauet, redditur de ſuis ſollicitus. Et cum de monitionibus ſuis emendationem alijs ſubminiſtrat, ipſe quoque efficitur à vitijs emendatus.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

XXVII. MEminere] A verbo *Memino, meminis*, quo vſi ſunt veteres. Optatus Mileuitanus *Quas ſi meminis* (niſi fortè ſcripſerat Meminerit) *in libro primo demonſtrauit*. Sed Participium *Meminens*, reperitur apud Auſonium in

Commen. profeſ. Burdegal. 2. *Viuit adhuc aui, quod perijt meminens.* Apud Sidonium lib. 2. epiſt. 10. lib. 4. epiſt. 3. & 12. lib. 6. epiſt. 3. & lib. 7. epiſt. 6. atque alibi. Et apud Liuium Andronicum refe. rente Voſſio de vit. ſerm. pag. mihi 767. & de Arte Grammatica lib. 5. cap. 39. Lambinus etiam ex Ciſtellaria Plauti in fragmentis citat *Meminere officium ſuum*. Quare nimis ſeueri cenſores cenſendi ſunt, qui repudiato tanquam Spurio *Meminere*, adoptarunt *Meminiſse*, vt eſt in omnibus editis.

Iubere] In vetuſtioribus legitur, *Iuuere*: Nã, vt ſupra notauimus *V* conſona pro *B* vſurpabatur.

Conſpergatur] Impreſſi legunt *Conſpergat*. Cæterum retinenda noſtra lectio: ſenſus enim eſt, velut fermentum conſpergatur.

Tantundem iterum] In vulgatis eſt *Tantum*.

Paſtor earum] *Eorum*. Codex Ioannis.

Oſtendat] Alij. *Oſtendere*.

Non cõuertenti ex ſeruitio præponatur Ingenuus] Viſa eſt aliquibus implicata hæc ſintaxis, & idcircò correxerunt. *Non præponatur ingenuus conuertenti ex ſeruitio*. Sed præcedentium clauſularum forma noſtram lectionem meritò petit. Ait ſiquidem. *Non ab eo perſona in Monaſterio diſcernatur. Non vnus plùs ametur, quàm alius. Non conuertenti ex ſeruitio præponatur ingenuus*. Facit ad hoc idem noſter textus infra cap. 43. *Vt non ſcurrilitas inueniat fomitem*. Et Pſal. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es*. Capitulare Caroli Magni cap. 139. *Vt non Presbyteri aduerſus Epiſcopos, nõ Diaconus aduerſus Presbyterum, &c. det accuſationem.*

In-

Ingenuus] Ideſt non ſeruus . Plin. Epiſt. 128. *Sanctitas morum non diſtat ordinibus* . Ingenuus olim dicebatur ex matre libera natus : Partus enim ſequitur ventrem .

Meliores ab alijs] Sine præpoſitione, *Ab*, legunt editi . Sic infra cap. 18. *Minus à Pſalterio.* & cap. 5. *Nihil ſibi à Chriſto carius* .

Verùm] Moderni addunt , *Etiam* , quod vacat in noſtris .

Scriptum] Antiquiores , *Scribtum* . Quod frequenter hic , & in alijs auctoribus .

Paret] Vulgati, *Præparet* .

De adhibendis ad Conſilium fratribus.

CAP. III.

XXVIII. QVotiens aliqua præcipua agenda ſunt in Monaſterio, conuocet Abbas omnem Congregationem , & dicat ipſe , vnde agitur. Et,audiens conſilium fratrum, tractet apud ſe, & quod vtilius iudicauerit,faciat . Ideo autem omnes ad cōſilium vocari diximus ; quia ſæpè iuniori Dominus reuelat , quod melius

 eſt.

eſt. Sic autem dent Fratres conſilium, cum omni humilitatis ſubiectione, & non præſumant procaciter defendere quod eis viſum fuerit: ſed magis in Abbatis pendeat arbitrio, vt quod ſalubrius eſſe iudicauerit, ei cuncti obediant: ſed ſicut Diſcipulis conuenit obedire Magiſtro; ita & ipſum prouidè, & iuſtè condecet cuncta diſponere. In omnibus igitur omnes Magiſtram ſequantur Regulam, neque ab ea temerè declinetur à quoquam.

Nullus in Monaſterio proprij ſequatur cordis voluntatem: neq; præſumat quiſquam cũ Abbate ſuo proteruè, aut foris Monaſterio contendere. Quod, ſi præſumpſerit, Regulari diſciplinæ ſubiaceat. Ipſe tamen Abbas cum timore Dei, & obſeruatione Regulæ omnia faciat: ſciens, ſe proculdubio de omnibus iudicijs ſuis æquiſſimo Iudici Deo rationem redditurum. Siqua verò minora agenda

ſunt

ſunt in Monaſterij vtilitatibus, ſeniorum tantùm vtatur conſilio, ſicut ſcriptum eſt: omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pœnitebis.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

XXIX. *QVotiens*] Prò *Quoties*. Vſi sũt. Plaut. in Epidico act. 2. ſc. 7. Cic. in Catilin. Hinc Priſcianus lib. 15. *A Quot, & Tot in ns terminantur Quotiens, Totiens*.

Tractet apud ſe] Addunt alij, *Prudenter*. Sed vacat in noſtris.

Et non præſumant] Ferè omnes editiones ſuſtituunt *Vt* prò *Et*. Non ineptè tamen legunt tabulæ Caſinenſes, *Et non præſumant*.

Proterùe, aut foris Monaſterio] Poſteriores legi volunt, *Intus, aut foris Monaſterium*. Vel *Intus, aut extra Monaſterium*. Perez. Salmant. 1559. Parienſ. 1614. At Smaragdus, ſequens antiquam Caſinenſium lectionem, teſtatur, ſic ſcriptum fuiſſe in autographo. *Beatus*, inquit, *Benedictus, cum dixiſset, Neque præſumat quiſque cum Abbate ſuo proterùe, non dixit intus, aut foris, ſicut aliqui Codices habent: ſed ſicut in illo, quem manibus ſuis ſcripſit, Proterùè, aut foris Monaſterio, reperitur*. Quare videtur S. P. voluiſſe, quod Monacho liceat intra Monaſterium quidem cauſam ſuam defendere apud Abbatem, ſed non proteruè. At

ex-

extra Monaſterium, nec proteruè, nec vllo modo; nè ſcilicet exteri ſcandalum patiantur, dum Monachum cum Prælato ſuo quoquomodo contendentem vident.

Pœniteberis] In paſſiua forma reperies Marci 1. *Pœnitemini,& credite Euangelio* Act.3.*Pœnitemini igitur, & conuertimini*. Euſebius, ſiuè Emiſſenus, ſiuè Gallicanus homil. 8. ad Monachos. *Vtinam interdum poſt ſperatã veniam, non pœniteatur*. Actiuè etiam reperitur apud Iuſtinum libro 11.*Primi pœnitere cœperunt*, prò, *Primos pœnitere cœpit*. Vide Martinium in Lexico, & Voſſium lib.4.de vit. ſerm. cap.30.

Quæ ſunt inſtrumenta bonorum operum.

CAP. IV.

XXX. IN primis, Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute.

2 Deinde, proximum tãquam ſe ipſum. *Deut. 6.*

3 Deinde, non occidere. *Luc. 10.*

4 Non adulterare. *Leuit. 19.*

5 Non facere furtum. *Exo. 20.*

6 Non concupiſcere. *Deut. 5.*

7 Non falſum teſtimonium dicere. *1. Petr. 2.*

8 Honorare omnes homines. *Luc. 9.*

9 Et quod ſibi quis fieri non vult, alio ne faciat. *Tob. 4.*

10 Abnegare ſemetipſum ſibi, & ſequatur Chriſtum. *Matth. 7.*

11 Corpus caſtigare. *1. Cor. 9.*

12 Delicias non amplecti. *2. Petr. 2.*

13 Ieiunium amare. *Dan. 1.*

14 Pauperes recreare. *Tob. 4.*

15 Nudum veſtire. *Eſaiæ 58.*

16 Infirmum viſitare. *Matth. 25.*

17 Mortuum ſepelire. *Tob. 1. 2.*

18 In tribulatione ſubuenire. *Eccl. 6.*

19 Dolentem conſolari. *Eccl. 7.*

20 A ſeculi actibus ſe facere alienum. *2. Tim. 2.*

21 Nihil amori Chriſti præponere. *Matt. 10.*

22 Iram non perficere. *Matth. 5.*

23 Iracundiæ tempus non reſeruare. *Epheſ. 4.*

24 Dolũ in corde non tenere. *Prou.* 12.
25 Pacem falſam non dare. *Iob.* 36.
26 Charitatem non derelinquere. *Pſal.* 27.
27 Non iurare, ne forte periuret. 1. *Petr.* 4.
28 Veritatem ex corde, & ore proferre. *Matth.* 5.
29 Malum prò malo non reddere. *Pſal.* 14. 1. *Theſ.* 5
30 Iniuriam non facere; ſed & factam patienter ſufferre. 1. *Cor.* 6.
31 Inimicos diligere. *Matth.* 5.
32 Maledicentes ſe non remaledicere, ſed magis benedicere. *Rom.* 12. 1. *Pet.* 3.
33 Perſecutionem pro iuſtitia ſuſtinere. *Matth.* 5.
34 Non eſſe ſuperbum. *Tob.* 4.
35 Non vinolentum. 1. *Tim.* 3.
36 Non multum edacem. *Eccl.* 31. 37.
37 Non ſomnolentum. *Prou.* 20.
38 Non pigrum. *Prou.* 24. 26.

39 Non

39 Non murmurioſum. *Sap.1.*
40 Non detractorem. *Prou.4.*
41 Spem ſuam Deo committere. *Pſal.36.*
42 Bonum aliquod in ſe cum viderit, Deo applicet, non ſibi. *Iacob.1.*
43 Malum verò ſemper à ſe factum ſciat,& ſibi reputet. *Oſeæ 13.*
44 Diem Iudicij timere. *Iob.31.*
45 Gehennam expaueſcere. *Luc.52.*
46 Vitam æternam omni concupiſcentia ſpiritali deſiderare. *Pſal.83. Phil.1.*
47 Mortem cotidiè ante oculos ſuſpectam habere. *Matt.24.*
48 Actus vitæ ſuæ omni hora cuſtodire. *Deut.4.*
49 In omni loco Deum ſe reſpicere, pro certo ſcire. *Prou.5.*
50 Cogitationes malas, cordi ſuo aduenientes, mox ad Christum allidere. *Pſ.136.*

51 Et ſeniori ſpiritali patefacere. *Eccl.* 8.

52 Os ſuum à malo, vel prauo eloquio cuſtodire. *Pſal.* 33. 38.

53 Multum loqui non amare. *Prou.* 10.

54 Verba vana, aut riſui apta, non loqui. *Matt.* 12. 2. *Tim.* 2.

55 Riſum multum, aut excuſſum non amare.

56 Lectiones ſanctas libenter audire. *Luc.* 11.

57 Orationi frequẽter incumbere. *Luc.* 18.

58 Mala ſua præterita cum lachrymis, vel gemitu cotidiè in oratione Deo cõfiteri, de ipſis malis de cætero emendare. *Gal.* 5.

59 Deſideria carnis non perficere: Voluntatem propriam odire. *Heb.* 13.

60 Præceptis Abbatis in omnibus obedire; etiam ſi ipſe *Matt.* 23.

ali-

aliter(quod abſit) agat: memores illud Dominicum præceptum, Quæ dicunt facite: Quæ autem faciunt, facere nolite.

61 Nolle velle dici ſanctum antequam ſit: ſed prius eſſe, quod verius dicatur. *Matth.6.*

62 Præcepta Dei factis cotidiè adimplere. *Eccl.6.*

63 Caſtitatem amare. *1.Tim.5.*

64 Nullum odire. *Leuit. 19.*

65 Zelum non habere: Inuidiam non exercere. *Galat. 5.*

66 Contentionem non amare. *2.Tim.2.*

67 Elationem fugere. *Pſal. 130.*

68 Seniores venerari. *Leuit. 19.*

69 Iuniores diligere. *1.Tim.5.*

70 In Chriſti amore pro inimicis orare. *Matt. 5.*

71 Cum diſcordante ante Solis occaſum in pacem redire. *Epheſ.4.*

Et de Dei miſericordia nunquam deſperare. *Ezech.* 18.

Ecce hæc ſunt inſtrumenta artis ſpiritalis: quæ, cũ fuerint à nobis die, noctuque inceſſabiliter adimpleta, & in die Iudicij reconſignata, illa merces nobis à Domino recompẽſabitur, quam ipſe promiſit: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum. Officina vero, vbi hæc omnia diligenter operemur, clauſtra ſunt Monaſterij, & ſtabilitas in Congregatione.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

FErè tota huius capitis materia ſumpta eſt à Clemente Romano (vel quicunque ille ſit) in Epiſtola prima ad Iacobum fratrem Domini.

XXXI. In titulo. *Quæ ſunt*] Non, *Quæ ſint*. *In primis*] Quidã præmittunt, *Primum inſtrumentum*, & ſubdunt, *In primis*, ſed perperàm, & contra fidem noſtrorum. Alij addunt, *In primis oportet*: Cæterum interrogationi tituli aptiùs reſpon-

ſpondetur ſimpliciter ſine *Oportet*.

Adulterare] Actiuum prò Deponente. Vide ſupra num. 17.

Aliò nè faciat] Diſplicet modernis, *Alio*: vnde reponunt, *Alij*. At Plaut. in Pſeudolo Act. 5. Sc. 1. *Neque ibi alium alio odio, &c.* vbi Lambinus, *Alio, Alij*, & Calepinus, *olim Alius faciebat Genitiuum, & Datiuum, ſicut cætera adiectiua primæ, & ſecundæ declinationis*. Nō ergò corrigendus eſt textus; imo religiosè retinenda antiquorum locutio ad eruditionem.

Nè faciat] *Non faciat*.

Abnegare ſemetipſum ſibi] Abſque, *Sibi*, ediderunt aliqui: ſed ſententiæ tollunt energiam, *Negar ſe ſteſſo à ſe ſteſſo*.

Non iurare] Addunt, *Omninò*, plerique etiam ex noſtris, non antiquiores.

Maledicentes ſe] *Sibi*, ſuſtituunt Critici, quaſi Verbum *maledico* non regat etiam Accuſatiuum apud Latinos, Petronius, *Ità, ſi me amas, maledic illam verſibus* Actorum 23. *Summum Sacerdotem Dei maledicis?*

XXXII. *Non Murmurioſum*] Vox vſitata Bernardo Epiſt. 73. & Petro Bleſenſi Epiſt. 14. Quidam legunt, *Murmuroſum*; nec diſcrepant aliqui ex noſtris Codicibus, minus vetuſtis.

Spiritali] ſemper apud noſtros (& hoc ſemel adnotaſſe ſufficiat) prò, *Spirituali*, legitur, *Spiritali*. Sic etiam loquuntur Caſſianus (ex quo multa Legifer noſter) & alij Patres paſſim.

Excuſſum] Altus riſus, & cum cachinno.

Emendare] Communiter habent, *Se emendare*.

re. Sed textus frequentiſſimè legit ſine pronomine: & eſt frequens apud Auctores mediæ ætatis.

Odire] *Odiſse*, alij, ſicut prò, *Meminere, meminiſse*. Vide Voſſium lib.4. de Vitijs ſerm. cap.15. & 30. *Odire* à verbo *Odio is*, cuius non infrequẽs vſus apud veterem Interpretẽ Sacræ Scripturæ. Lucæ 16, *Odiet*. Prouerb. 1. *Odibunt*. Pſalm. 26. *Odiui*: & ſæpè alibi. Tertull. in Apologet. *Oditur itaque in hominibus innocuis etiam nomẽ innocuum. At nunc ſecta oditur*. Vbi Cerda. *In verbo*, inquit, *oditur, obſerua, Tertullianum delectari antiquis verbis*. Eſt etiam Senecæ, Apuleij apud Voſſium in Arte Grammatica lib.3. de Analogia cap.39. Eſt Euagrij in vita S. Antonij. *Odite vanam gloriã*. Anonymi de Genealogia Regum Daniæ, *Ab emulis ſuis, ſe inuicem odientibus*. In Vopiſco reperies, *Perodiendum*. Cum ergò permittatur in tot auctoribus, cur expungi meruit in Benedicto?

Memores illud Dominicum præceptum] *Illius Dominici præcepti*, legitur in editis. Sed *Memini*, & *Memor* aliquando cum accuſatiuo conſtrui, obſeruauit. La Cerda in Tertull. lib. de Anima cap.24.

Zelum non habere: Inuidiam non exercere] *Zelum, & Inuidiam non habere*, ſub vnico Verbo, placuit multis: eo, fortaſsè, quia in vnicum inſtrumentum coeunt.

XXXIII. *Iuniores diligere. In Chriſti amore prò inimicis orare*] Sic interpungunt antiquiſſimæ noſtræ membranæ: Ita vt amor Chriſti ſpectet ad motiuum orandi prò Inimicis. Alij verò, & ſanè nimis ſcrupuloſè, nè dicam ineptè, interpũgunt

gunt poſt, *Amore*, ſic, *Iuniores diligere in Chriſti amore. Prò inimicis orare*: ita vt Chriſti amor attineat ad iuniorum dilectionem honeſtandam. Verùm, qui ſic legunt, textum non capiunt. Non enim agit hic S.Pater de Iunioribus ætate,& ſimpliciter iuuenibus: ſed generaliter de Iunioribus comparatiuè, & in ordine Congregationis, qui, & ipſi decrepiti,& magis decrepiti, quàm diligẽtes, eſſe poſſunt. Vnde infra cap.63. cum dixiſſet *Iuniores Seniores ſuos honorent, Priores iuniores ſuos* (non iuniores ſimpliciter, ſed iuniores ſuos, inquit) *diligant*; explicans ſubinde, quid nomine Iuniorum intelligat, ſic ſubiungit: *Qui ſecunda hora diei venerit in Monaſterio, iuniorem ſe nouerit illius eſse; Qui prima hora venerit diei; cuiuslibet ætatis* (attende) *vel dignitatis ſit*. Intendens itaque S. Legislator præſcribere in hoc capite mutua officia inter Seniores,& Iuniores, ſeù Maiores, & Minores, ait, A Iunioribus in ordine Congregationis deberi venerationem reſpectu Seniorum ſuorum (quocirca in eodem cap. 63. *Iuniores*, inquit, *Priores ſuos Nonnos vocent, quod intelligitur paterna reuerentia*) à Senioribus verò non venerationem iunioribus ſe in ordine Congregationis, ſed dilectionem rependendam. Quapropter ibidem ſubdit: *Sed Priores Iuniores ſuos Fratres nominent*. Quorſum igitur, niſi ſuperſtitioſè, atque ridiculè in dilectione aridi ſenis,qui iunior reſpectu alterius eſſe poteſt in Cõgregatione, cautionem illam adhibuiſſet S.Pater, *in Chriſti amore*? Hinc Codex Ioannis Abbatis in expoſitione huius loci: *Seniores venerari; Hoc at-*

tinet

tinet ad Iuniores: Iuniores diligere, Hoc attinet ad Maiores: In Chriſti amore prò inimicis orare; Orare debes prò inimicis, vt conuertantur, & hoc ſciendum eſt, quia in Chriſti amore ad inimici orationē attinet, ſic ille, & Petrus item Diaconus, *Amor Chriſti facit nos diligere inimicum: Facit etiam orare prò illo.* Et ſumpſit ex Smaragdo, à quo ferè omnia. Sed tandem omnis remouetur ſcrupulus obſeruãdo, hæc verba, & hoc ordine ſumpta fuiſſe ex Clem. Rom. cit. Sic enim habet Clemens. *Seniores venerari: Iniores diligere.* Et nè eadem eſſet difficultas, poſt multa ſubdit. *In Chriſti nomine prò inimicis orare*, pro quo S. Pater dixit *In Chriſti amore*. Retinenda itaque omninò eſt, tanquam germana, lectio, & interpunctio noſtra.

Cum diſcordante] Alij in plurali. Ex Apoſtolo: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.*

Reconſignata] Aptiſſimè concludit, inſiſtens ſumptæ metaphoræ. Inſtrumenta enim artis ſpiritalis quaſi conſignantur Monacho in hac vita, vt per ea piè operetur: quæ tandem in die obitus poſt operum defunctionem reconſignari debent.

De Obedientia.

CAP. V.

XXXIV. PRimus humilitatis gradus eſt Obedientia ſine mo-

mora. Hæc conuenit his, qui nihil ſibi à Chriſto carius aliquid exiſtimāt propter ſeruitium ſanctum, quod profeſſi ſunt, ſeù propter metum Gehennæ, vel gloriam vitæ æternæ: mox aliquid imperatum à Maiore fuerit, ac ſi diuinitus imperetur, moram pati neſciant in faciendo: de quibus Dominus dicit: Obauditu auris obediuit mihi: & *Pſal. 17.* item dicit Doctoribus: Qui vos audit, *Matth. 10.* me audit. Ergo hi tales, relinquentes ſtatim, quæ ſua ſunt, & voluntatem propriam deſerentes; mox exoccupatis manibus, & quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede iubentis vocem factis ſecuntur; & veluti vno momento prædicta Magiſtri iuſſio, & perfecta Diſcipuli opera in velocitate timoris Dei ambæ res communiter citius explicantur, quibus ad vitam æternam gradiēdi amor incumbit; ideò anguſtam viam arripiunt: vnde Dominus dicit: Anguſta *Matth. 7.*

via eſt, quæ ducit ad vitam, vt non ſuo arbitrio viuentes, vel deſiderijs ſuis, & voluptatibus obedientes; ſed ambulantes alieno iudicio, & imperio, in Cœnobijs degẽtes, Abbatem ſibi præeſſe deſiderant. Sine dubio hi tales illã Domini imitantur ſententiam, qua di-
Ioan. 5. cit: Non veni facere voluntatem meã, ſed eius, qui miſit me. Sed hæc ipſa Obediẽtia tunc acceptabilis erit Deo, & dulcis hominibus, ſi, quod iubetur, non trepide, non tarde, non tepide, aut cum murmurio, vel cum reſpõſo nolentis, efficiatur quia Obedientia, quæ maioribus præbetur, Deo exhibetur;
Matth. 10. Ipſe enim dixit: Qui vos audit, me au-
Cor. 29. dit. Et cum bono animo à Diſcipulis præberi oportet, quia hilarem datorẽ
Eccleſ. 35. diligit Deus. Nam cum malo animo ſi obedit diſcipulus, & non ſolum ore, ſed etiam in corde ſi murmurauerit, etiam ſi impleat iuſſionem, tamen acceptum iam non erit Deo, qui cor reſpi-

ſpicit murmurantis. Et prò tali facto nullam conſequitur gratiã: imo murmurantium pœnam incurrit, ſi non cum ſatisfactione emendauerit.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

XXXV. IN titulo] Quidam legunt. *De Obedientia Diſcipulorum*. Sed vacat in noſtris, *Diſcipulorum*.

Primus humilitatis gradus] Non ſincerum hìc cenſent aliqui textum, & ideò ſuſtituunt, *Primus Obedientiæ gradus*. Editio Salmant. & aliæ; nam hìc agitur de Obedientia, nõ de Humilitate. Proponit ſibi, & ſoluit hoc dubium auctor expoſitionis in Codice Ioannis Abbatis, ſic inquiens, *Videndum eſt, quare dicit, Humilitatis, cum clauis illius Capituli de Obedientia dicit. Potuit enim dicere, Primus Obedientiæ gradus eſt. Sed ideò dixit, Humilitatis, quia iſtæ tres virtutes, ideſt Charitas, Humilitas, Obedientia adeò ſunt coniunctæ, vt vna ſine altera eſſe nequeat. Nam vbi Obedientia eſt, ibi eſt Humilitas, & Charitas*, ſic ille. Importunè igitur cenſoria virgula corrigendum putarunt moderni, *Obedientiæ*, prò. *Humilitatis*; Obedientia enim ſocia Humilitatis eſt, & hoc indicare voluit. S. Pater. Dixit autem *Primus*, ideſt *ſummus* gradus.

His] Vſitatiſſimum eſt in textu, *His*, prò, *ijs*, vt obſeruanti patebit, quod in alijs ſæpè.

A Chriſto carius aliquid] Deeſt, *Aliquid*, in pleriſque Editionibus; ſicut ſupra dixit, *Meliores ab alijs*, prò, *Meliores alijs*, ſic nunc dicit, *Carius à Chriſto*, prò, *carius Chriſto*.

Propter ſeruitium ſanctum, quod profeſſi ſunt, ſeù] *Hæc verba non leguntur in editione Romana* 1642.

Mox aliquid] *Mox vt aliquid*. Sic infra cap. 43. *Mox auditum*. Sed recentiores noſtri interponunt, *Vt*, cum impreſſis.

Obauditu auris] Perez legit, *Obauditum*, niſi mendum fuerit in typo. Alij legunt, *Ab auditu*. Trithemius, *In auditu*.

Opera] Non, *Operatio*.

Explicantur] Ideſt, Exercentur, expediuntur. Cic. 3. de Offic. apud Hæftenum hìc.

Quibus ad vitam æternam] Variè legunt hanc periodum etiam noſtri. Quidam interpungunt poſt, *Explicantur*. Alij antiquiores connectunt cum ſequentibus, & punctum fingunt poſt, *Incumbit*. Et ſubintelligendum putant pronomen, Ab his, ex græca phraſi, Sic. *Ambæ res communiter citius explicantur ab his, quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit*.

Ambæ res] Phraſis propria S.P.B. ſicut ſupra cap. 2. *Vtrarunque rerum*.

Murmurio] Sicut ſupra dixerat, *Murmurioſo*. Moderni reponunt, *Murmure*. Sed *Murmurio* reperitur etiam apud Auguſt. Vide Hæftenum.

In corde] Deeſt, *In*, apud aliquas editiones.

Etiam

Etiam ſi] Pariſienſis , & Salmanticenſis legant, *Et ſi*. Et, *Verum etiam*, prò, *Sed etiam*.

Nullam conſequitur Gratiam] *Nulla conſequitur gratia*, legit antiquiſſimus Codex.

De Taciturnitate.

CAP. VI.

XXXVI. FAciamus, quod ait Propheta: Dixi cuſtodiam *Pſal. 38.* vias meas, vt non delinquam in lingua mea: Poſui ori meo cuſtodiam, obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis. Hic oſtendit Propheta, ſi à bonis eloquijs interdum propter taciturnitatem debere tacere: quanto magis à malis verbis, propter pœnam peccati, debet ceſſari? Ergo, quamuis de bonis, & ſãctis, & ædificationum eloquijs, perfectis diſcipulis, propter taciturnitatis grauitatem, rara loquendi concedatur licentia; Quia ſcriptum eſt: In multi- *Prou. 10.* loquio non effugies peccatum. Et alibi: Mors, & vita in manibus linguæ.

Nam

Nam loqui, & docere Magiſtrum cō. decet : tacere,& audire diſcipulo conuenit. Et ideo, ſi qua requirenda ſunt à Priore,cum omni humilitate, & ſubiectione reuerentiæ requirātur.Scurrilitates vero,vel verba otioſa,& riſum mouentia;æterna clauſura in omnibus locis damnamus; & ad talia eloquia diſcipulum aperire os non permittimus.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

XXXVII. D*Ebere tacere*] Nihil mutauimus. Impreſſi tamen legunt, *Debet taceri*.

Et ædificationum eloquijs] *Ad ædificationem*,habent Pariſ. & alij.

Et ſubiectione reuerentiæ] *Subiectione, & reuerentia*, magis arridet multis.

Requirantur] Poſt hoc verbum quædam editiones ſubnectunt, *Ne videatur plus loqui, quàm expedit*. Sed tacentibus omnibus noſtris.

Scurrilitates] Iocularia verba, turpia, & riſum mouentia. Riſus enim non ſine aliqua turpitudine oritur. Hinc vocantur etiam *Obſcæna*, ideſt immunda, & ſordida, vel *Oſcena*, vt placet Feſto,

cò

cò quod ab Oſcis deriuari putet hoc verbum. Erant autem Oſci populi Campaniæ, Neapolitani, Atellani: vndè Atellanæ fabulæ, ideſt ridiculæ, & ſubturpes; & ideo verba ridicula, & turpia vocata ſunt oſcena. Æterna clauſura damnantur in Regula, vtpotè honeſto viro, nedum religioſo indigna. D.Bernard. *Inter ſeculares nugæ ſunt nugæ: in ore Sacerdotis blaſphemiæ.* Monachus autem plangentis, non ridentis eſt nomen.

Æterna Clauſura] Antiquior Codex legit, *Cluſura*.

Damnamus] In aliquibus, *Dampnamus.*

Ad talia eloquia] Multis placet legere in ſingulari.

De Humilitate.

CAP. VII.

XXXVIII. CLamat nobis ſcriptura Diuina, Fratres, dicens: Omnis, qui ſe exaltat humiliabitur; &, qui ſe humiliat exaltabitur. *Luc. 14.* Cum hæc ergo dicit, oſtendit nobis, omnem exaltationem genus eſſe ſuperbiæ: Quod ſe cauere Propheta indicat dicens: Domine non eſt exaltatum cor meum: neque elati ſunt oculi mei: *Pſal. 130.*

mei: neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me: Sed quid? Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam; ſicut ablactatus ſuper matre ſua, ita retribues in animã meam. Vnde, Fratres, ſi ſummæ humilitatis volumus culmen attingere, & ad exaltationem illam cæleſtem, ad quam per præſentis vitæ humilitatem aſcenditur, volumus velociter peruenire, actibus noſtris aſcendentibus ſca-
Geneſ. 28. la illa erigenda eſt, quæ in ſomnio Iacob apparuit, per quam ei deſcendentes, & aſcendentes Angeli monſtrabantur. Non aliud ſine dubio deſcenſus ille, & aſcẽſus à nobis intelligitur; niſi exaltatione deſcendere, & humilitate aſcendere. Scala vero ipſa erecta noſtra eſt vita in ſeculo, quæ humiliato corde à Domino erigitur ad Cælũ. Latera enim eiuſdem ſcalæ dicimus noſtrum eſſe corpus, & animam. In qua latera diuerſos gradus humilitatis,

vel

vel diſciplinæ Euocatio Diuina aſcendendos inſeruit.

Primus itaque humilitatis gradus eſt, ſi timorem Dei ſibi ante oculos sẽper ponens, obliuionem omnino fugiat, & ſemper ſit memor omnium, quæ præcepit Deus, qualiter contemnentes Deum Gehenna de peccatis incendat; & vita æterna, quæ timentibus Deum præparata eſt, animo ſuo ſemper euoluat. Et cuſtodiens ſe omni hora à peccatis, & vitijs, ideſt cogitationum, linguæ, manuum, pedum, vel voluntatis propriæ; ſed & deſideria carnis amputare feſtinet; Æſtimet ſe homo de Cœlis à Deo ſemper reſpici omni hora, & facta ſua omni loco ab aſpectu Diuinitatis videri, & ab Angelis omni hora renuntiari. De- *Pſal. 7.*
monſtrat nobis hoc Propheta, cum in cogitationibus noſtris ita Deum ſemper præſentem oſtendit dicens: Scru- *Pſal. 93.*
tans corda & renes Deus: Et item: *Pſal. 138.*

Dominus nouit cogitationes hominũ:
Pſal. 75. Et item dicit: Intellexiſti cogitationes
Pſal. 17. meas à longe: Et quia cogitatio hominis confitebitur tibi. Nam, vt ſollicitus ſit circa cogitationes ſuas peruerſas dicat ſemper vtilis Frater in corde ſuo: Tunc ero immaculatus coram eo, ſi obſeruauero me ab iniquitate mea. Voluntatem vero propriam ita facere prohibemur, cum dicit Scri-
Eccleſ. 28. ptura nobis: Et à voluntatibus tuis a-
Matth. 6. uertere: Et item, Rogamus Deum in oratione, vt fiat illius volũtas in nobis.

Docemur ergo merito noſtram nõ facere voluntatem, cum cauemus il-
Prou. 16. & 14. iux. 70. lud, quod dicit Scriptura: Sunt viæ, quæ videntur hominibus rectè, quarũ finis vſque ad profundum Inferni demergit. Et cum item pauemus illud,
Pſal. 52. quod de neglegentibus dictũ eſt: Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in voluntatibus ſuis. In deſiderijs vero carnis ita nobis Deum credamus

ſem-

ſemper eſſe præſentem, cũ dicit Propheta Domino: Ante te eſt omne deſiderium meum. Cauendum ergo ideo malum deſiderium, quia mors ſecus introitum delectationis poſita eſt. Vnde Scriptura præcipit dicens: Poſt cõcupiſcentias tuas non eas. Ergo, ſi oculi Domini ſpeculantur bonos, & malos; & Dominus de Cœlo ſẽper reſpicit ſuper filios hominũ, vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum: Et, ſi ab Angelis, nobis deputatis, cotidie die, noctuque Domino factorum noſtrorum opera nuntiantur; Cauendum eſt ergo omni hora, Fratres, ſicut dicit in Pſalmo Propheta: Ne nos declinantes in malo, & inutiles factos, aliqua hora aſpiciat Deus, & parcendo nobis in hoc tempore (quia pius eſt, & expectat nos conuerti in melius) ne dicat nobis in futuro: Hæc feciſti, & tacui.

Pſal. 30. *Eccleſ. 8.* *Iſa. 33.* *Pſal. 52.* *Pſal. 49.*

Secundus humilitatis gradus eſt, ſi

propriam quis non amans voluntatē, deſideria ſua non delectetur implere: ſed vocem illam Domini factis imitetur dicentis: Non veni facere voluntatem meam; ſed eius qui miſit me:
Ioan. 6. Item dicit Scriptura: Voluptas habet pœnam, & neceſſitas parit coronam.

Tertius humilitatis gradus eſt: vt quis pro Dei amore omni obedientia ſe ſubdat maiori: imitans dominum,
Phil. 2. de quo dicit Apoſtolus: Factus obediens vſque ad mortem.

Quartus humilitatis gradus eſt, ſi in ipſa Obedientia duris, & contrarijs rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis iniurijs, tacita cōſcientia patientiam amplectatur, & ſuſtinens non laſſeſcat,
Matth. 10. vel diſcedat; dicente Scriptura: Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſal-
Pſal. 27. uus erit: Item: Cōfortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. Et oſtendens fidelem pro Domino vniuerſa etiā contraria ſuſtinere debere, dicit ex perſo-

na

na ſufferentium : Propter te morte afficimur tota die: æſtimati ſumus, vt oues occiſionis. Et ſecuri de ſpe retributionis Diuinæ, ſubſecuntur gaudentes, & dicentes: ſed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos: *Rom. 8.*
Et item alio loco Scriptura: Probaſti nos Deus; igne nos examinaſti, ſicut igne examinatur argentum: induxiſti nos in laqueum: poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro. Et vt oſtendat ſub Priore debere nos eſſe, ſubſequitur dicens: Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra. Sed & præceptum Domini in aduerſis, & iniurijs per patientiam adimplentes, qui percuſſi in maxilla præbent & aliam; auferenti tunicam, dimittunt & pallium; angariati milliario vadunt duo: Cum Paulo Apoſtolo falſos Fratres ſuſtinent, & maledicentes ſe benedicunt. *Pſal. 65.* *Matth. 5.* *Luc. 6.* *Cor. 2. 11.*

Quintus humilitatis gradus eſt, Si omnes cogitationes malas, cordi ſuo

ad-

aduenientes, vel mala à ſe abſconſe
commiſſa, per humilem confeſſionẽ
Abbati non cælauerit ſuo. Hortans
Pſal. 30. nos de hac re Scriptura dicens: Reuela
Domino viam tuam, & ſpera in eum:
Pſal. 105. Et item dicit: Confitemini Domino
quoniam bonus,quoniam in ſeculum
miſericordia eius. Et item Propheta:
Pſal. 31. Delictum meum cognitum tibi feci,
& iniuſtitias meas non operui. Dixi
pronuntiabo aduerſum me iniuſtitias
meas Domino: & tu remiſiſti impie-
tatem cordis mei.

Sextus humilitatis gradus eſt,Si om-
ni vilitate, vel extremitate contentus
ſit Monachus:& ad omnia,quæ ſibi in-
iunguntur; velut operarium malum,
ſe iudicet,& indignum, dicens ſibi cũ
Pſal. 72. Propheta: Ad nihilum redactus ſum,
& neſciui: vt iumentum factus ſum
apud te, & ego ſemper tecum.

Septimus humilitatis gradus eſt, Si
omnibus ſe inferiorem, & viliorem,

non

non ſolum ſua lingua pronuntiet; ſed etiã intimo cordis credat affectu, humilians ſe,& dicens cũ Propheta: Ego autem ſum vermis,& non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis: Exaltatus sũ,& humiliatus,& confuſus. Et item: Bonum mihi,quod humiliaſti me, vt diſcam mandata tua. *Pſal. 21.* *Pſal. 87.* *Pſal. 118.*

Octauus humilitatis gradus eſt, Si nihil agat Monachus; niſi quod communis Monaſterij Regula, vel maiorum cohortantur exempla.

Nonus humilitatis gradus eſt, Si linguam ad loquendũ prohibeat Monachus, & taciturnitatem habens vſq; ad interrogationẽ non loquatur: monſtrante Scriptura: Quia in multiloquio non effugitur peccatum: &, quia vir linguoſus non dirigitur ſuper terram. *Prou. 10.* *Pſal. 139.*

Decimus humilitatis gradus eſt, Si non ſit facilis, ac prõptus in riſu. Quia ſcriptum eſt: Stultus in riſu exaltat vocem ſuam. *Eccleſ. 21.*

Vndecimus humilitatis gradus eſt; ſi cum loquitur Monachus, leniter, & ſine riſu, humiliter, cum grauitate, vel pauca verba, & rationabilia loquatur: & non ſit clamoſus in voce, ſicut ſcri-
Eccleſ. 20. ptum eſt: Sapiens verbis innoteſcit paucis.

Duodecimus humilitatis gradus eſt, ſi nō ſolum corde Monachus; ſed etiā ipſo corpore humilitatem videntibus ſe ſemper indicet, ideſt in opere Dei, in Oratorio, in Monaſterio, in Horto, in Via, in Agro, vel vbicumque, ſedēs, ambulans, vel ſtans, inclinato ſit ſemper capite, defixis in terram aſpectibus, reum ſe omni hora de peccatis ſuis exiſtimans; iam ſe tremendo iudicio repræſentari æſtimet, dicens ſibi in corde ſemper illud, quod Publicanus ille Euangelicus fixis in terram oculis
Luc. 12. dixit: Domine non ſum dignus ego peccator leuare oculos meos ad Cœ-
Pſal. 118. los. Et item cum Propheta: Incuruatus

tus ſum, & humiliatus ſum vſquequaque, Ergo his omnibus humilitatis gradibus aſcenſis Monachus mox ad caritatem Dei perueniet illam, quæ perfecta foris mittit timorem: per quã vniuerſa, quæ prius non ſine formidine obſeruabat, abſque vllo labore, velut naturaliter ex conſuetudine incipiet cuſtodire; nõ iam timore Gehennæ, ſed amore Chriſti, & conſuetudine ipſa bona, & delectatione virtutũ. Quod Dominus iam in operarium ſuum mũdum à vitijs, & peccatis Spiritu Sancto dignabitur demonſtrare. *Ioan. 1. 4.*

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

XXXI.X ANgelicus Doctor 2. 2. quæſt. 161. inſtituit articulum ſextum. *Vtrum conuenienter diſtinguantur ſecundum B. Benedictum duodecim gradus humilitatis*. Illos autèm recenſet alio ordine, quàm in Regula diſpoſiti videntur. Putarunt proindè aliqui, tempore D. Thom. textum Regulæ aliter diſpoſitum fuiſſe in hoc capite. Sed membranarum Caſinenſium, quæ per

varia ſecula ſcriptæ ſunt, conſtans, & inuariata ſeries conuincit oppoſitum. Ergò D. Thom. ex Regula ſumpſit rem, non ordinem.

Oſtendit nobis] Vacat pronomen, *Nobis*, apud multos.

Quod ſe cauere] Caueo cum accuſatiuo frequens eſt apud Latinos: Plaut. in Pſeud. act.4. ſc.1. *Quid primùm caueam, neſcio*. Terent. in Eunuch. *Quod cauere poſsis, ſtultum eſt admittere.*

Super Matre ſua] *Matrem ſuam*, alij.

Ità retribues in animam meam] Communis lectio eſt, *Ita retributio in anima mea*, ſicut eſt in Vulgata. Nihilominus lectionem S.P. noſtri reperio in alijs Patribus. Sed Codex Ioannis legit, *Retribuis*.

Non aliud] Sæpè, *Aliud* ſcribitur, *Aliut*.

Latera eiuſdem] *Huius*, habent æditi.

In qua latera] Cæteri, *In quibus lateribus*. Sed cum antiqui corrigendum non putarint, neque nos corrigere audemus. Reperitur tamen apud alios, Leo Oſtienſ. in Chron. prol. ſic dicere ſolemus, *ſi qua eſt ratio*, & ſimilia.

Euocatio] Pariſ. *Vocatio*.

Primus itaque] Præfigunt quidam, *Primus gradus*. Sed textus non eſt interrumpendus.

Obliuionem] Veteres ſcribunt. *Oblibionem* ex notatis ſupra.

Gehenna de peccatis incendat] Hanc lectionem ſine diſcrepantia exhibent vetuſtiores Codices noſtri, eamque cæteris præfert Menardus apud Hæſtenum hic. Ità etiam legit textus Regulæ in Codice Abbatis Ioannis: expoſitio tamen legit

cum

cum vulgatis, *In Gehennam prò peccatis incidant*. Erat autem Gehenna Vallis filiorum Hennom iuxta Hieruſalem; in qua Infantes igne immolabantur Idolo Moloc. Hinc apud Hebræos Infernus Gehennæ nomen obtinuit: & futura ſupplicia, pœnæque perpetuæ, quibus peccatores cruciandi ſunt, huius loci vocabulo denotantur, ex D. Hieron. & alijs ſacris expoſitoribus.

Et vita æterna ſemper euoluat] Actiuum verbũ Neutrum fecit. Et ideò dixit, *Vita æterna ſemper euoluat*, ideſt obuerſetur animo illius. Impreſſi habent, *Et vitam æternam, &c. ſemper reuoluat.*

Linguæ, manuum] Interponunt alij, *Oculorum.*

Omni hora renuntiari] *Deo nunciari*, eſt in editis.

A longe] *De longe*, alij.

Vtilis Frater] Ex fide omnium noſtrorũ. Vulgati tamen legunt, *Humilis Frater*. Vbi Nicolaus noſter, *Quem pænitet de cogitationibus ſuis peruerſis, dicitur vtilis Frater*. Trithemius verò, *Vtilis Frater eſt, qui omnibus prodeſſe, & nulli deſiderat obeſſe*.

Tunc ero immaculatus coram eo] Ex lectione Septuaginta Interpretum, quod in Vulgata eſt, *Immaculatus cum eo*.

A voluntatibus tuis] In plurali, non in ſingulari, vt apud alios.

Sunt viæ, &c. Sententia hæc combinata eſt ex cap. 14. & 16. Prouerbiorum, iuxta verſionem Septuaginta.

Videntur hominibus recta] *Putantur ab hominibus*, legunt multi.

Et cum item pauemus illud] Alij, *Cauemus*; Salmant. Pariſ.

Neglegentibus] Antiqua locutione, qua vſus eſt Terentius in Phorm. & Marcus Varro lib. 4. de lingua Latina. *Neglego* enim ducitur à *Lego*, quaſi *non lego*, & *electum non habeo*, ex Feſto.

Voluntatibus] *Voluptatibus*. Fortè ſcriptum fuit ab initio, *Volumptatibus*, vt ſupra obſeruauimus.

Cum dicit Propheta Domino, Ante te eſt omne desiderium meum] Aliqui addunt, *Domine ante te, &c.*

Et ſi ab Angelis] Vacat particula, *Si*, in modernis.

Cotidiè, die, noctuque Domino factorum noſtrorũ opera nuntiantur] Aliquæ editiones carent aduerbio, *Quotidiè*. Aliæ carent, *Die, noctuque*. Quidam etiam ex noſtris legunt ſic, *Cotidiè, die, noctuque Domino factori noſtro opera noſtra nuntiantur*. Pſalm. 67. *Benedictus Dominus die quotidiè*.

In malo] *In malum*, alij.

Voluptas habet pœnam] *Voluntas*, eſt in aliquibus noſtris membranis. Sed fortè hìc etiam poſitum fuit *Voluptas*, prò, *Volumptas*, vt ſupra.

Factus obediens vſque ad mortem] Ex huius Apoſtolici teſtimonij allegatione Illuſtriſſimus Caramuel in ſuo Nomenclatore Regulæ cenſet, S.P. Benedictum alluſiſſe ad illam Theologorum ſententiam, quà Chriſtus dicitur habuiſſe à Patre verum, & rigoroſum præceptum moriendi, contra opinionẽ Franciſci Victoriæ, & Petri Lorcæ. Sed ad ſcholaſticas has ſubtilitates ſanctum Legislatorem noſtrum minimè reſpexiſſe, magis veroſimile

mile mihi eſt. Cæterùm opinioni Lorcæ facilè ſubſcriberem (quam olim ſingularem, plauſibilem ſuo nunc reddidit patrocinio vnus prò mille doctiſſimus,atq;eruditiſſimus Sfortia Pallauicinus Magnum Nomen) ſic enim Gordianus ille nodus conciliandæ libertatis Chriſti cum eius impeccabilitate, ſolui difficillimus, facilè,& ſine iactura rumpitur. Verùm Theologis hæc relinquamus.

Propter te morte afficimur tota die] Caramuel reſtituendum hìc putat, *Propter te affligimur tota die*. Sed, ſi fides vniuerſis noſtris membranis,non recedendum à lectione,quam damus. *Morte afficimur*, ideſt *mortificamur*, vt exponunt noſtri. Cũ enim dicat, *Tota die*, ſatis indicat, intelligi debere non de morte, ſed de mortificatione.

Sicut igne examinatur] Reperitur, *Igne*, quod deeſt in multis vulgatis.

Qui percuſsi] Editio Pariſ. & aliæ non habent relatiuum.

In maxilla] *In maxillam*, cæteri.

Et aliam] Quidam, *& alteram*.

Falſos Fratres ſuſtinent] Pariſ. addit, *Et perſecutionem*.

Hortans nos] *Hortatur nos*, eſt in modernis.

Chordis mei] Alij, *Peccati mei*.

Dicens ſibi] Deeſt, *Sibi*, in editis.

Leniter] Alij, *Leuiter*, ſed præferendum, *Leniter*.

In opere Dei] Vacat, *Dei*, in aliquibus etiam noſtris modernioribus.

Ad Cælos] In plurali.

Fo-

Foris] *Foras*. Sic aliquando reperitur *Intus*, prò *Intrò*, & *Vbi*, prò *Quò*.

In operarium ſuum mundum] *In operario*, vulgatæ.

De Officijs Diuinis in noctibus.

CAP. VIII.

XXXXII. Hiemis tempore, ideſt à Hcalẽdis Nouembribus vſque in Paſcha iuxta conſiderationẽ rationis octaua hora noctis ſurgendum eſt; vt modice amplius de media nocte pauſetur, & iam digeſti ſurgant. Quod vero reſtat poſt vigilias, à Fratribus, qui Pſalterij, vel lectionum aliquid indigent, meditationi inſeruiatur. A Paſcha autem vſque ad ſupradictas Nouembres, ſic temperetur hora vigiliarum agenda; Paruiſſimo interuallo, quo Fratres ad neceſſaria natura exeant cuſtodito: mox matutini, qui incipiente luce agendi ſunt, ſubſequantur.

VA-

Digitized by Google

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

XXXXIII. A *Hcalendis Nouembribus*] Communis lectio habet, *A Kalendis Nouembris*. Noſtræ verò membranæ concorditer legunt adiectiuè, *Nouembribus*, & infra *Nouembres*. Vſitata lectione illorum temporum. Et Ciceronis in Coniur. Catil. Codice Vatic. *Quid cum te Praneſte* Kalendis *ipſis Nouembribus, &c.* apud Suareſium in Præneſte antiqua.

Vſque in Paſcha] Prò, *In*, reponunt *Ad*.

Digeſti] Ex Italica locutione.

XXXXIV. *Quod verò reſtat poſt vigilias à Fratribus, qui Pſalterij, vel Lectionum aliquid indigent, meditationi inſeruiatur*] Salebroſa ſanè huius periodi ſintaxis. Cæterùm ſenſus planus, nempè Tempus illud, quod reſtat poſt nocturnas vigilias vſque ad matutinos, ſeù Laudes, impendatur meditationi, ideſt ſtudio Pſalterij, vel Lectionum; nimirum in addiſcendo, & memoriæ mandando Pſalterio, & Lectionibus, & hoc ab illis, qui aliquid indigent, ideſt, qui nondum didicerunt. Sed quid ab illis, qui non indigent? Codex Ioannis in Commentario ad hunc locum. *Fortè dicit aliquis Monachus, Nolo vigilare vſque mane, ſed dormire; eò quòd non indigeo aliquid, adiuuante Domino. Cui Abba, talem propoſitionem debet proponere, quam ille Frater non poſſit ſoluere, & humilietur ex hoc ille Frater*. Studio igitur, & medita-

tioni Pſalterij, & Lectionum conſumendum erat interuallum, illud nocturnum, & confirmatur ex ordine conuerſationis Monaſticæ, quod Opuſculum Diuo Benedicto adſcribitur infra num. 266. vel ſaltem Regulam explicat. Hinc colligunt expoſitores, Monachos olim Pſalterium memoriter didiciſſe, & memoriter pſallere conſueuiſſe. Vide Hæftenum, & Caram. Omitto alias huius loci interpretationes, & præſertim, quas refert Siluanus Razzi pagin. mihi 272. Longè enim abſunt à germana, quam aſſerit vſus antiquorum.

Vſque ad ſupradictas Nouembres] Concors noſtrorum Lectio.

Sic temperetur hora vigiliarum agenda: Paruiſſimo interuallo, &c.]Hanc Periodũ variè dant Codices noſtri. Nos legimus cum Bernardo, Riccardo, & alijs ſine particula *Vt*. Quam omittere ſolet textus cap. 3. cap. 70. & alibi.

Matutini] Ideſt, *Laudes*, ſic dicti à Matuta, quæ eſt Aurora: nam, incipiente luce, dicendi ſunt ex præſcripto Regulæ. Romana tamen Eccleſia non diuidebat Matutinos à Nocturnis; ſicut nec modò nos diuidimus, niſi in Vigilia Natalis Domini.

Quan-

Quanti Pſalmi dicendi ſunt Nocturnis horis.

CAP. IX.

XXXXV. Hiemis tẽpore, præmiſſo in primis verſu Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina: In ſecundo ter dicendum eſt, Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam: cui ſubiungendus eſt tertius Pſalmus, & Gloria: Poſt hunc Pſalmus nonageſimus quartus cum Antiphona, aut certe decantando. Inde ſequatur Ambroſianum: Deinde ſex Pſalmi cum Antiphonis. Quibus dictis, dicto verſu benedicat Abbas: Et, ſedentibus omnibus in ſcamnis, legantur viciſſim à Fratribus in Codice ſuper Analogium tres Lectiones; inter quas, & tria reſponſoria cantentur. Duo Reſponſoria ſine Gloria

dicantur. Poſt tertiam verò Lectionem, qui cantat, dicat Gloriam, quam dum incipit cãtor dicere, mox omnes de ſedilibus ſuis ſurgant ob honorem, & reuerentiam Sanctæ Trinitatis. Codices autem legantur in Vigilijs Diuinæ auctoritatis, tàm veteris teſtamenti, quàm noui. Sed & expoſitiones earum, quæ à nominatiſſimis, & Orthodoxis, Catholiciſque Patribus factæ ſunt. Poſt has vero tres Lectiones cũ Reſponſorijs ſuis ſequantur reliqui ſex Pſalmi cum Alleluia canendi. Poſt hos Lectio Apoſtoli ſequatur, ex corde recitanda, & verſus, & ſupplicatio Letaniæ, ideſt Kyrie eleiſon. Et ſic finiantur Vigiliæ Nocturnæ.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

XXXXVI. In titulo. *Quanti Pſalmi*] *Quot*, reponunt Moderni. Sed non corrigendus textus ex illo Euangelij, *Quanti mercenarij*. Reperitur etiam apud Tertull. Ambroſ. alioſq;

alioſque. Vide Hæftenum.

Hiemis tempore, præmiſſo inprimis, &c.] Aliter legunt hãc Periodum vulgati. Verſiculum *Deus in adiutorium* initium feciſſe horis Canonicis ex inſtitutione Damaſi Papæ aſſerunt Nouarr. & alij. Polidorus verò Virgilius id tribuit Gregorio Magno. Certè ante Gregorium S.P. Benedictus illum præſcripſit Monachis ſuis, & Caſſiani tempore frequens erat in ore Patrum. Magrus. Hor. Can.

Verſu] Dicitur *Verſus*, eò quòd tùnc vertebatur Chorus ad Altare, ſeù ad Orientem, Amalar. apud Magr. vel quia vno verſu, ideſt vnica linea continetur; poſt quàm oculus in legendo vertitur ad ſequentem, ſicut manus in ſcribendo. Hinc veteribus *Verſiculus* dicebatur *Caput*. Ex quo intelligas Cæſarium cum ait: Quatuor Euangelia eſſe Capitum 1162. ideſt verſiculorum. Voſſ. 113. ſic intellige *Capitula*, quæ præcipiuntur dicenda infra 289. ideſt *Verſus*. Et num. 208. in fine.

Antiphona] Guglielmus Durantus in ſuo Rationali lib. 5. cap. 2. *Antiphonam* dici putat per reſpectum ad Pſalmum, ideſt, *ante Pſalmum ſonans.* Nam vt ait Amalar. lib. 4. de Offic. Eccleſ. cap. 7. *Antiphona inchoatur ab vno vnius Chori, & ad eius Symphoniam pſalmus cantatur per duos Choros.* Smaragd. verò, *Antiphona vox eſt*, inquit, *reciproca, duobus ſcilicet alternatim pſallentibus*. Et Bernardus noſter, *Antiphona ex Græco ſumpta, vox intelligitur reciproca, ideſt alternatim à duobus Choris contrarijs decantata, & dicitur ab Anti, quod eſt Contra, & Phonos, quod eſt Sonus: quia per diuerſas*

melodias aſcendendo, & deſcendendo, dulcem in pſallendo faciunt Græci ſonum, ſic ille. Antiphonæ autem nomine in hoc Capitulo intelligitur *Inuitatorium* v. g. *Regem, cui omnia viuunt, &c.* Nam *Inuitatorium* Antiphona eſt ordine Romano; & Amalario.

XXXXVII. Primus antiphonas in Eccleſia Latina inſtituit Ambroſius, imitatus Orientales, apud quos initiū eas habuiſſe Antiochiæ, auctore Ignatio Martyre, aſſerunt ex Phutio, Valafridus, Sigebertus, Francolinus, Gauantus, & alij: quidam verò ex Theodoreto Antiphonarum ritum inductum fuiſſe volunt à Diodoro, & Flauiano. Eas tamen, priùſquam Antiochiæ, vſitatas fuiſſe Alexandriæ ab Eſſenis, colligitur ex Philone Iudæo; & multo antiquius in maris rubri Littore, ex Iacobo Goar in Rituali Græcorum.

Aut certè Decantando] Codex Ioannis, & impreſſi legunt, *Decantandus*. Sed Lectio noſtra eſt aliorum Caſinenſium, & ſenſus eſt Pſalmus 94. dicatur, aut cum Antiphona, aut certè decantantur. Vide infra cap. 12.

Ambroſianum] Ideſt *Hymnus*; vt ex contextu capitis 18. Dicitur autèm *Ambroſianum*; vel quia Hymnos illos Ambroſius compoſuit: vel quia ad imitationem Ambroſij compoſiti ſunt ab alijs. Iſidor. Valafr. & alij apud Magrum, & Hæſten.

Gloria] Hinc verſus fluxit ab Apoſtolis. Cui Concilium Nicenum ad retundendam blaſphemiam Arrianorum, dicentium, Filium à Patre nō ab æterno genitum conſubſtantialem, ſed in tēpore factum; addi voluit appendicem illam, *Sicut*

erat

erat in principio, &c. Baronius anno 325. Damaſus verò Papa inſtituit, vt diceretur pro coronide cuiuslibet pſalmi, Magr. & alij.

Benedicat Abbas] Benedictio hæc, ex Smaragdo, eſt illa Abſolutio, quæ dicitur in fine ſex pſalmorũ Nocturni, ideſt, *Exaudi Domine preces, &c.* vel, *Precibus, & meritis*. Appellatur autem *Abſolutio*, quia abſoluit, & terminat Nocturnum, ſicut Lectio illa breuis, quæ dicitur in fine Primæ, *Dominus autem dirigat corda, &c.* Vocatur etiam à Clericis Abſolutio Capituli, ex antiquo Monachorum, & Canonicorum ritu, qui, finita Prima in Choro, conueniebant in Capitulo ad Lectionem Martyrologij, & Regulæ, qua lectione completa, Superior abſoluebat, ſeù dimittebat Capitulum cum ſua benedictione; quem ritum vſque hodiè ſeruamus. Alij nomine Benedictionis (cum textus ait, *Benedicat Abbas*) intelligi volunt illam benedictionem, quæ dicto *Iube Domine benedicere*, præmittitur Lectionibus.

XXXXVIII. *Analogium*] Ideſt *Pulpitum, Ambonem, Dicterium, Legile, Lectorium, Legium*. Dicitur ex Græco *Analogium*, eò quòd *Logos*, ideſt ſermo Euangelicus inde prædicatur, & altiùs ſitum eſt Iſid. lib. 15. Originum cap. 14. Apud Suidam verò, *Analogium* dicitur, ſuper quo imponuntur libri Curopalatres. *Coram autem ipſo* (Imperatore) *Analogium, ſuper quo ſitum eſt ſanctum Euangelium.* Italicè, Lettorino.

Reſponſoria] Sic dicta, vel quia reſpondent hiſtoriæ Lectionum, Rupertus; vel quia repetuntur à capite; vel quia, vno canente, Chorus concanendo

nendo reſpondet. Iſid. de Off.Eccleſ. lib.1.cap.8. Ab Italis primùm inuenta ſunt Reſponſoria;ſicut Antiphonæ à Græcis, ex quo originarij idiomatis nomen retinẽt. Rabanus de Inſt.Cleric.lib.1. cap.33. Vide Magr. & Gauant.

Viciſſim] Ideſt *per vices*; ſuccedentibus ſibi inuicem Fratribus in legendo. Singuli enim ſingulas legebant olim Lectiones,& idcircò ad ſingulas petebatur à ſingulis benedictio Superioris per *Iube Domne benedicere*. Nam ſi vnus omnes quatuor Lectiones legiſſet, vnica benedictio ſatisfuiſſet ad primam. Nùnc verò nouo ritu toties ab eodem legente petitur Benedictio, quot ſunt Lectiones.

Diuinæ auctoritatis, tàm veteris teſtamenti,quàm noui] Alij inuertunt horum verborum ordinem.

XII. *Ex corde recitãda*] *Ex corde*,ideſt *magno cũ deuotionis affectu*, exponunt multi. Sed ex contextu cap.ſequentis, *Ex corde*, idem eſt, ac *Memoriter*,nimirum non ex codice,ſed ex corde,ſeù ex memoria, quæ cordis etiam nomine intelligi conſueuit. Vndè dicimus,Corde retinere beneficia, vel iniurias, ideſt in memoria. Caram.& Gloſſar. Vnde Bernard. *Ex Corde, ideſt ſine libro Memoriæ*.

Letaniæ, ideſt Kyrie eleiſon] *Domine miſerere*, ex Græco. dicuntur Litaniæ, ideſt preces, & ſupplicationes; vt exponit textus. De Litanijs libellis duobus egit Nicolaus Seraricus. Noſtri Codices pro *Litanijs* legunt *Letanijs*.

Quali-

Qualiter æſtatis tempore agatur Nocturna Laus.

C A P. X.

L. A Paſcha autem vſq; ad Hcalendas Nouembres omnis (vt ſupra dictum eſt) Pſalmodiæ quãtitas teneatur: excepto quod Lectiones in Codice propter breuitatem noctium minime legantur: ſed pro ipſis tribus Lectionibus vna de veteri teſtamento memoriter dicatur, quam breue Reſponſorium ſubſequatur, & reliqua omnia (vt dictum eſt) impleantur: ideſt, vt nunquam minus à duodecim Pſalmorum quantitate ad vigilias nocturnas dicantur: Exceptis tertio, & nonageſimo quarto Pſalmo.

Digitized by Google

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

A*D Hcalendas Nouembres*] Adiectiuè, vt ſupra.

Memoriter] Quod ſupra dixerat, *Ex Corde.*

Minus à duodecim] idiotiſmus Italicus, *Meno di dodici, ò da dodici.*

Exceptis] Ideſt non computatis. Capit. Caroli Magni lib.7.cap.301. *Excepta ea confeſsione*, Qualiter ideſt *præter illam*, *vltra illam*.

Qualiter diebus Dominicis Vigiliæ agantur.

CAP. XI.

LI. DOminico die temperius ſurgatur ad Vigilias. In quibus Vigilijs teneatur menſura, ideſt modulatis (vt ſupra diſpoſuimus) ſex Pſalmis, & verſu; reſidentibus cunctis diſpoſite, & per ordinem in ſubſellijs legantur in Codice (vt ſupra diximus) quatuor Lectiones cum Reſponſorijs ſuis: vbi tantum in quarto Reſponſorio

rio dicatur à cantante Gloria, quam dum incipit, mox omnes cum reuerentia ſurgant. Poſt quas Lectiones ſequantur ex ordine alij ſex Pſalmi cum Antiphonis, ſicut anteriores, & verſus. Poſt quos iterum legātur aliæ quatuor Lectiones cum Reſponſorijs ſuis, ordine quo ſupra. Poſt quas dicantur tria cantica Prophetarum, quæ inſtituerit Abbas: quæ cātica cum Alleluia pſallantur. Dicto etiā Verſu, & benedicēte Abbate, legantur aliæ quatuor Lectiones de nouo Teſtamēto, ordine quo ſupra. Poſt quartum autem Reſponſoriū incipiat Abbas Hymnum, Te Deum laudamus. Quo dicto, legat Abbas Lectionem de Euangelio cum honore, & timore, ſtātibus omnibus. Qua perlecta, reſpondeant omnes, Amen. Et ſubſequatur mox Abbas Hymnum, Te decet laus: Et data benedictione, incipiant Matutinos. Qui ordo Vigiliarum omni tempore tam æſtatis, quā

hiemis æqualiter in die Dominico teneatur: niſi forte (quod abſit) tardius ſurgant, aliquid de Lectionibus breuiandum eſt, aut Reſponſorijs. Quod tamen omnino caueatur, ne proueniat. Quod ſi contingerit, digne inde ſatisfaciat Deo in Oratorio per cuius euenerit neglectum.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

LII. *Temperius*] Caramuel *Temperius*, reſtituo, inquit, *Temporius*. Et ità legunt Moderni. At Lectio noſtra Germana eſt, & non reprehendenda. Reperitur apud Auguſt. ſerm. 107. de Tempore. *Hac ſola ex cauſa pſalmos matutinos Temperius voluimus conſummare.* Eſt etiam Suetonij in vita Terentij, *C. Lelium admonitum ab vxore, Temperius vt diſcumberet.* Ciceronis Epiſt. Famil. 167. lib. 9. *Memini te mihi Phameæ cœnam narrare. Temperius fiat, cætera eodem modo,* ſic legunt Lambinus, Voſſius, & Manutius ex antiquis Codicibus. Hinc Voſſius de Vitijs ſerm. lib. 2. cap. 1. probat *Temperius, quando veteres, vt Pigneris dixere, vnde Pignero; ſic etiam Temperis, vnde Tempero*. Plaut. in Perſa act. 5. ſcen. 1. *Cedo partẽ, quam pepigi temperi. Temperius autèm eiuſdem, ac* Tem-

Tempero originis eſt. Nam propriè Temperius accedit, qui magis tempore, ſeù tempori venit. Pignera, pro Pignora reperire eſt in Gregor. Turon. & in Flodoardo.

Ad Vigilias] Nocturnorum diſtinctio ſumpta videtur ex vigilijs militaribus, in quas olim nox ad Clepſydram diuidebatur. Cum enim impoſſibile videretur, in Speculis vigilantes per totam noctem inſomnes perdurare; placuit in quatuor partes noctis vigilias diſtribuere, vt non ampliùs, quàm tribus horis ſinguli ſpeculatores vigilare tenerentur, Vegetius de Re milit.lib.3.cap.8.Sic itaque veteres Monachi ad ſingulas vigilias ſurgentes,nocturnum recitabant diuiſim.Quod pijſſimus Legislator noſter ſemel ſuis alumnis faciẽdum indulſit, vt ſimul duos, vel tres Nocturnos caneremus.

Poſt quas dicantur tria cantica] Vulgati interponunt, *Iterum*, ſed nuſquàm in Caſinenſibus, & meliùs.

Prophetarum] Quod in editis eſt, *de Prophetis.*

Poſt quartum autem Reſponſorium] Quod ponitur duodecimum in Officio Monaſtico, & nonũ in Romano, eſt de Sancta Trinitate. Nam olim duodecima etiam Lectio erat de Trinitate propter hæreſes,tùnc debacchantes. Aſſerta demùm Sanctiſſima Triade, omiſſa fuit Lectio,retẽto Reſponſorio. Gugl.Durant.

Timore] Sic legunt antiquiores noſtri. Aliqui legunt *Tremore.*

Stantibus omnibus] Ritu Romano Micrologus de Eccleſiæ obſeruationibus cap. 9. *Iuxta decre-*

tum Anaſtaſij Papæ non ſedetur, dum Euangelium legitur. Et Anaſtaſ. Biblioth. in vita eiuſdem Anaſtaſij Pontificis. *Conſtituit, vt quotieſcunque Euangelia ſancta recitantur, Sacerdotes non ſederent, ſed curui ſtarent.*

Amen] Vox eſt Hebræa, & ſignificat, *Fiat*, ſeù *Verè*. Alterutra ſignificatione aptari poteſt Euãgelio. Igitur non iurãdi, ſed affirmandi, vel optãdi formula eſt. Vide Martinium in Lexico.

Te decet Laus] Hymni huius auctorem non facile eſt reperire; extat tamen apud Clem. Rom. Apoſtolic. Conſtitut. lib. 7. cap. 49. & in Liturgia Iacobi fratris Domini. Vide Hæften. *Hymnus* autèm Græcis, eſt *Laus* Latinis.

LIII. *Et data benedictione*] Quidam exponũt, Et dicta Oratione, ſeù Collecta, quod enim Benedictionis nomine intelligi cõſueuerit Oratio, docet Amalarius (qui floruit circa annũ 800.) lib. 2. de Eccleſ. Offic. cap. 9. *Vtroque*, inquit, *nomine idest Benedictionis, & Orationis vocatur Oratio Sacerdotis.* Vnde Oratio, quæ in Quadrageſima poſt communionem dicitur ſuper Populum, vocabatur olim ſecunda Benedictio, apud Magrum. Alij opinantur, aliquam ſpecialem benedictionem tunc fuiſſe in vſu ad claudendum vigilias nocturnas. Sanctus enim Benedictus non præſcripſiſſe videtur Collectas in Officio ſuo: vt infra cap. 13. obſeruabitur. Hic tamen obiter notandum, Orationem dici *Collectam*, vel quia in Collecta, ſeù Congregatione populi fiebat, vel quia olim, orãte Sacerdote ſimul cum Populo, priùs ipſe dicebat, *Oremus*, & orantibus fidelibus ſecretò; tandem

dem Sacerdos, quaſi colligens orationes Populi, illas Domino deferebat, tanquam mediator, & interpres. Micrologus de Eccleſ. obſer. cap. 3. apud Magrum: & Baronius in notis ad Martyrolog. die 22. Iunij. *Sacerdos*, inquit, *qui legatione fungitur prò Populo ad Dominum, omnium petitiones in Orationibus colligit, atque concludit*, & Bleſenſis ſerm. 43. *Stat Sacerdos innouatus mente, & habitu ad Altare, Orationem dirigit ad Patrem, quæ Collecta dicitur, quia tanquam Aduocatus omnium Orationes colligit, & defert ad Dominum.*

Tardiùs ſurgant] *Surgatur*, Alij.

Aliquid] *Et aliquid*, Pariſ. *Quia tùnc aliquid* cæteri.

Qualiter Matutinorum ſolemnitas agatur.

C A P. XII.

LIV. IN Matutinis Dominico die in primis dicatur ſexageſimus Pſalmus ſine Antiphona indirectum: Poſt quem dicatur quinquageſimus Pſalmus cum Alleluia: Poſt quem dicatur centeſimus ſeptimus decimus, & ſexageſimus ſecundus. Inde Benedictiones, & Laudes, Lectio de Apoca-

calypſi vna ex corde, & Reſponſoriũ, & Ambroſianum,& Verſus, & Canticum de Euangelio, Letaniæ, & completum eſt.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

LV. IN titulo. *Qualiter*] Alij ex noſtris legunt *Quomodo.*

Indirectum] Ideſt ſine cantu, & harmonia, ſed æquali,& recta recitatione. Vnde Bernardus noſter, *Indirectum, ideſt,vt non fiat in eo Pſalmo certi toni modulatio*, & ſubſcribit Caramuel,Hæftenus, ex quo Stengelius. Duæ igitur in Regula præſcribuntur pſallendi formæ. Prima cum Antiphona, & hæc forma erat harmonica, nempè cum cantu: nam intonata Antiphona,quæ erat tanquam clauis,& index toni,cæteri ad illius Antiphonæ tonũ Pſalmum canebant. Alter modus eſt, *Indirectũ,* ſeù *directaneè,* & ſine Antiphona,nempè ſine modulatione cantus. Cum enim in cantu harmonico vox modò flectatur, modò eleuetur, pſallere *directaneè* ex aduerſo erit ſine flexione, ſed voce directa, & æquali in eadem linea.

Huic tamen expoſitioni obſtare videtur,quod ſupra cap.9. Regula præſcribit, Pſalmum 94. dici,aut cum Antiphona,aut decantando,quæ diſiũctiua locutio oſtendit, diuerſa eſſe hæc duo,Pſallere cum Antiphona,& Pſallere decantando; cõ-

tra modo poſitam interpretationem.

Reſpondet Bernardus Caſinenſis, *Decantando, ſupple indirectum, & ſine Antiphona, ſicut tertius Pſalmus; quod in æſtate faciunt in partibus Gallicanis*, ſic Bernard. vnde Petrus Diaconus in ſuo textu legit, *Aut certè decantando ſine Antiphona indirectum.* Igitur, *Decantando*, ibi valet prò, *Simpliciter recitando*, ſine modulatione, ſine cantu: Particula enim, *De*, interdum eſt negatiua.

Inde Benedictiones] Sic appellat Canticũ trium puerorum, *Benedicite*, quia totum benedictionibus conſtat.

Et laudes] Ideſt, *Laudate Dominum de Cælis*, cũ duobus ſequentibus, qui non niſi diuinas continent laudes, & ex his tribus Pſalmis Matutini vocati ſunt *Laudes*.

Lectio de Apocalypſi] *Benedictio, & claritas, &c.* Nùnc ea Lectio vocatur *Capitulum*; quia ſimiles lectiones ſumi ſolent ex capite Epiſtolarum, quæ dicuntur in Miſſa. Durant.

Ex corde] Memoriter, vt ſupra.

Canticum de Euangelio] Ideſt, *Benedictus*. Quidam Codices omnia hæc nomina habent in Accuſatiuo.

Letaniæ] Ideſt, *Kyrie eleiſon.*

Pri-

Priuatis diebus qualiter agantur Matutini.

CAP. XIII.

LVI. DIebus autem priuatis Matutinorum ſolemnitas ita agatur: ideſt, vt ſexageſimus ſextus Pſalmus dicatur ſine Antiphona,ſubtrahẽdo modice ſicut Dominica, vt omnes occurrant ad Quinquageſimum, qui cum Antiphona dicatur. Poſt quem alij duo Pſalmi dicantur ſecundũ conſuetudinem: ideſt Secunda feria quintus,& trigeſimus quintus: Tertia feria quadrageſimus ſecundus, & quinquageſimus ſextus: Quarta feria ſexageſimus tertius, & ſexageſimus quartus: Quinta feria octogeſimus ſeptimus,& octogeſimus nonus:Sexta feria ſeptuageſimus quintus, & nonageſimus primus: Sabbato autem centeſimus quadrageſimus ſecũdus, & Canticũ Deutero-

teronomij,quod diuidatur in duas Glo rias. Nam cæteris diebus Canticum vnumquodque die ſuo ex Prophetis, ſicut pſallit Eccleſia Romana,dicatur. Poſt hæc ſequãtur Laudes, deinde Lectio vna Apoſtoli,memoriter recitanda. Reſponſorium, Ambroſianum; Verſus, Canticum de Euangelio, Letania, & completum eſt. Plane agenda Matutina, vel veſpertina non tranſeat aliquando; niſi in vltimo per ordinem Oratio Dominica omnibus audientibus dicatur à Priore propter ſcãdalorum ſpinas, quæ oriri ſolent: vt Conuenti per ipſius orationis ſponſionem, qua dicunt, Dimitte nobis ſicut, & nos dimittimus, purgent ſe ab huiuſmodi vitio. Cæteris vero agendis vltima pars eius orationis dicatur, vt ab omnibus reſpondeatur: Sed libera nos à malo.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

LVII. S*Vbtrahendo modicè*] Ideſt, *Protrahendo*, nempè, non dicatur celeriter; ſed cum mora competenti.

Sicut Dominica] Moderni addunt particulam, *In*.

Canticum Deuteronomij] Codex Ioannis legit adiectiuè *Canticum Deuteronomium*.

Lectio vna Apoſtoli] *Nox praceſſit, &c.*

Letania, & completum eſt] Ergò ex Regula, poſt *Kyrie eleiſon*, non dicenda erat Oratio, ſeù Collecta; vt nùnc eſt in vſu, ſed tantùm Oratio Dominica, & ſic complebatur Officium, vt infra hìc.

Agenda] Nominaliter, & in ſingulari: non verò participialiter, & in plurali: Et ideò rectè Codices noſtri legunt in ſingulari, *Tranſeat*; non autem *Tranſeant*, vt reponunt Recentiores. Capitulare Caroli Magni lib. 6. can 234. *Si quis Presbyter, inconſulto Epiſcopo, Agendam in quolibet loco voluerit celebrare, ipſe honori ſuo contrarius extitit*, Et in titulo eiuſdem Canonis. *De Presbyteris, qui abſque Epiſcopi ſui conſcientia Agendã celebrauerint.* Licet enim ex vi originis ſit participium; ex vſu eorum temporum tranſijt in nomen. Sic, quod Capitulare dixit *Agendam*, ſumptum eſt ex Concilio Carthagin. 2. can. 9. vbi dicitur *Agenda*. Beda in vita Auguſtini *Agendæ* in plurali. *Per omne Sabbatum à Presbytero loci illius Agendæ eorum ſolemniter celebrentur*. Accipitur aliquando pro

Miſſa.

Miſſa. Vnde *Agenda mortuorum* eſt Miſſa pro Defunctis. Durant. in Ration. Hìc verò ſumitur prò Officio diuino,ſtatutis temporibus celebrando. Hinc ſupra cap.8. Sic temperetur hora, vigiliarum Agenda,ideſt ſic tẽperetur hora,in Agenda vigiliarum, hoc eſt in Officio nocturno. Nam ſæpè textus conſueuit omittere præpoſitionem *In*, vt obſeruauimus,tum alibi; tum hìc: Cæteris Agendis: ideſt, in cæteris. Dicitur enim *Agenda* ab *Agere*,quod eſt celebrare. Ex quo *diem feſtum Agere:* ſicut *Facere* eſt *Sacrificare*. Gloſſa quædam apud Spelmannum. *Sicut facere eſt ſacrificare, ſic Agere, Matutinas,& Veſpertinas dicere*. 3.Regum 18. *Ego faciam bouem alterum*. Et in Concil. Illiberit. *Qui ad templum idolorum acceſſerit, & fecerit*, ideſt ſacrificauerit, vt ex contextu. Virgil. Eclog.3. *Cum faciam vitula pro frugibus, ipſe venito*, ideſt,*Cum ſacrificabo*. Et Varro lib.5.de lingua Latina *Agnam Ioui facere*. Vnde,quod in Vulgata Pſal.66. legimus, *Offeram tibi boues cum hircis*, Hebræa habet,*Faciam tibi boues cum hircis*. Et hoc verbo vſus eſt Chriſtus in ſacrificio. *Hoc facite in meam commemorationem*. Sicut *Agendam*;ſic dicimus *Legendam Sanctorum*.

LVIII. *Oratio Dominica*] In primitiua Eccleſia in fine cuiuſlibet horæ Canonicæ alta voce dicebatur *Pater noſter*, abſque alia Oratione,ſeù Collecta. Durant. lib. 5. & ſtatutum eſt in Concil. Gerundenſi de Conſecr. lib. 5. cap. *Id ſemper*, & in Concil.Tolet.4.can.9. Hunc ritum præſcripſit ſuis Monachis S.Pater. & ſanè,quo decentiori fine claudi potuiſſent horæ Canonicæ, quàm Domini-

minica Oratione,quæ cõtinet omnes Orationes? Quocirca Gugliel. Durant.lib.4.cap.15.refert,In Eccleſia Lateranenſi nõ conſueuiſſe recitari Collectas; ſed earum vice dicebatur Pater noſter. Veroſimillimum igitur eſt, Legiſlatorem noſtrũ non inſtituiſſe Collectas in ſuo Officio, quicquid dicat Caramuel. Nam,vt obſeruauit S. Hildegardis, *Orationem, Dominica Oratione pretioſiorem non inuenit* (Sanctus Benedictus) *per quam diuinum ſeruitium terminetur*.

Quare autèm in Matutinis,& Veſperis tantùm, Oratio Dominica tota præcipiatur dicenda alta voce, cæteris verò horis, ſubmiſſa; exponunt aliqui,quia Matutini,& Veſperæ ſunt finis noctis,& diei, in quibus ſolet homo iraſci fratri ſuo. Ideò tùnc debet reconciliari illi; cæteris verò horis aliquando fit impoſſibile reconciliari ſtatim ob alias Monaſterij occupationes.

Priore] Nomine Prioris in Regula non intelligas Præpoſitum;ſed quemcunque Primum,& Superiorem in Ordine, ſiuè ſit Abbas,ſiuè Præpoſitus, ſiuè Decanus, ſiuè alius. Bernardus Cardin. *Prior, ideſt qui fuerit primus in Ordine in Eccleſia*. Vide Caramuel.in Nomenclatore.Prioris autèm nomen apud Caſinenſes inſtitutum fuit à Cœleſtino Quinto,cùm Caſinum venit. Neque tamen impoſitum fuit Præpoſito, ſed Decano. Erat per ea tempora Caſini vnus tantùm Decanus, quem Cœleſtinus Priorẽ clauſtralem vocari iuſſit. Riccardus noſter in expoſitione Regulæ.

Vt Conuenti] Caramuel hìc, *Omnia*, inquit, *exemplaria,quæ vidi,habent,Conuenti,ſed quo ſenſu?*

Reſti-

Reſtituo, Conuicti. *Conuincimur enim inimicis ignoſcere promiſsione illa, quæ veniam diuinitus promittit ignoſcentibus, & iniurias confratri condonantibus*, ſic ille, cui conſonat Codex Ioannis, qui, licet legat *Conuenti*, explicat tamen *Victi, fracti, ſuperati; ac ſi diceret*, inquit; *alijs verbis*. *Ideò dico, in voce dici hanc orationem, vt, quia nolunt ſponte ſe emendare, & eijcere odium de corde ſuo, ſaltem audiendo ſuperentur, & victi ab hac ſententia ſponſionis, purgent ſe ab huiuſmodi vitio, ideſt ab illo vitio, quod in corde habent*; Smaragdus etiam, *Vt conuenti, ſcilicet ab hoc perſuaſi, & attracti*. Nihilominùs etiam legendo, *Conuenti*, in ſua proprietate, optimo ſenſu conſtare videtur textus, ſiquidem apud Iuriſconſultos, *Conuenire* ſtat prò, In iudicium vocare, ſiuè Actionem aduerſus aliquem inſtituere, & interpellare; ex Nonio Marcello, ſic dicimus, *Conuenire debitorem*. Aptiſſimè igitur textus, *Vt conuenti per ipſius orationis ſponſionem*, quaſi dicat; Ideò Oratio Dominica publicè dicenda eſt altà voce à Superiore nomine omnium; vt, quoniam per illam promittimus Deo, dimittere debitoribus noſtris; ſi fortè id facere ſpontè nollemus, ſaltem conuenti per hanc ſponſionem, ideſt in Iudicium vocati, & interpellati ab ipſa promiſſione, omnem rancorem erga fratrem de corde pellamus. Atque hinc intelligi poteſt, quo ſenſu, & qua energia poſita fuit in textu vox *Conuenti*, quã nuſquàm nõ inuenit Caramuel. Leo Oſtien. in prol. Chronic. *Subita hac ſciſcitatione conuentus*.

Siluanus Razzi hìc refert aliam interpretationem

nem huius vocis, *Conuenti*, ideſt *illi, qui conuenerunt*, ſed frigidè,& inſulsè.

Dimitte] *nobis, ſicut, & nos dimittimus*] Concors noſtrorum Lectio.

In Natalitijs Sanctorum qualiter agantur Vigiliæ.

CAP. XIV.

LX. IN Sanctorum vero feſtiuitatibus, vel omnibus ſolemnitatibus, ſicut diximus Dominico die agēdum, ita agatur: excepto quod Pſalmi, aut Antiphonæ, vel Lectiones, ad ipsū diem pertinentes, dicantur. Modus autem ſupraſcriptus teneatur.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

LXI. IN titulo. *Agantur*] Ideſt, *Celebrētur*, textus infra cap. 17. *Celebretur Oratio*, prò, Agatur. Vide ſupra num. 57.

Ad ipſum diem] Hoc dupliciter poteſt intelligi, vel ad ipſum diem, ideſt ad ipſam Feriam, vel ad ipſum diem, ideſt ad ipſum feſtum, ſeù ſolemni

nitatem Sancti. Secunda expoſitio mihi magis probatur. Vnde, ex antiquiſſima traditione, & ex vetuſtiſſimis Breuiarijs, in feſtis Sanctorum recitamus Pſalmos, Antiphonas, & Lectiones feſti, non feriales. Licet autem Regula non præſcribat ſpeciales Pſalmos pro ſolemnitatibus, probabile tamen eſt, tùnc temporis in vſu fuiſſe Pſalmos ſpeciales, ſicut de Hymnis conſtat ex Epiſtola Theodemari ad Carolum Magnum.

Alleluia quibus temporibus dicatur.

CAP. XV.

LXII. A Sancto Paſcha vſque Pẽtecoſten ſine intermiſſione dicatur Alleluia, tam in Pſalmis, quam in Reſponſorijs. A Pentecoſte autem vſque in Caput Quadrageſimæ omnibus noctibus cum ſex poſterioribus Pſalmis tantum ad Nocturnos dicatur. Omni vero Dominica extra Quadrageſimam Cantica, Matutini, Prima, Tertia, Sexta. Nonaque cum Alleluia dicantur. Veſpera iam cum Antiphona. Reſponſoria vero nunquã di-

dicantur cum Alleluia, niſi à Paſcha vſque Pentecoſten.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

LXIII. *Vſque Pentecoſten*] Sine, *Ad*, & iterùm infra. Locutio vſitata per ea tempora. Erchempertus cap. 1. *Vſque Regnum*; ſicut dicimus, *Vſque mane*. Pentecoſtes autèm Græca vox ſignificat Quinquageſimum, ideſt diem à feſto Paſchæ.

Alleluia] Vox Hebræa, quam variè exponunt interpretes. Primò aliqui, Deus venit, laudate. Al, venit El, Deus, Via, laudate. Alij ſic, Al, Pater, El, Filius, Via, Spiritus Sanctus, Caſal. de veteribus ritibus Chriſtianorum, pag. 361. Alij ſic, Allelu, Laudate, Ia, Deum, ex Auguſtino, Theodoreto, Ambroſio, & alijs, Caramuel. hìc nu. 1255. Cœpit cantari. Alleluia apud Latinos tempore Damaſi Papæ ex ritu Eccleſiæ Hieroſolymitanæ. Vide Magrum.

A Pentecoſte autem] Quidam Codices legunt, *A Pentecoſten*.

LXIV. *Vſque in Caput Quadrageſimæ*] *Caput Quadrageſimæ*, quidam intelligunt Feriam quartam Cinerum, quæ vocatur Feria quarta in capite Ieiunij. Alij intelligunt per caput Quadrageſimæ Dominicam primam, quæ etiam vocatur *Caput Quadrageſimæ*.

Qua-

Quare autèm Legifer noſter præcipit dimittẽdum Alleluia à Capite Quadrageſimæ, cum Eccleſia Vniuerſalis illud dimittat à Septuageſima? Quidam reſpondent cum Ruperto Tuitienſi, Nomine Quadrageſimæ hic intelligi ipſam Septuageſimam. Codex Ioannis in expoſitione ſic inquirit. *Quare ab alijs* (vtique Monachis) *dimittitur Alleluia à Septuageſima, cùm S. Benedictus vſque ad Caput Quadrageſimæ dicit eſſe canendum Alleluia?* Reſpondet autem ſic, *Ideò dimittitur à Capite Septuageſimæ, quia mos fuit apud antiquos à Septuageſima incipere Quadrageſimam, & ſunt etiam modò alij, qui ab illo tempore incipiunt Quadrageſimam: & propterea, quia antiquus vſus fuit, ideò præualuit, vt à Septuageſima dimitteretur Alleluia; Et qui nùnc dimittunt Alleluia à Capite Quadrageſimæ, moderno more faciunt*, ſic auctor ille. At Bernardus Caſinenſis, *Quod dicit in Caput Quadrageſimæ, hodiè mutatum eſt apud omnes Latinos, qui in Septuageſima Canticum dimittunt*. Cur autèm S.P. Benedictus non fuit ſecutus ritum Eccleſiæ Romanæ? Reſpondet Rupertus, quia tẽpore D. Benedicti nec in Eccleſia Romana ſtabiliti erant ritus Officj Diuini, quod fecit poſteà Gregorius. Porrò hinc obſeruandum; licet non ſolum dimittendi Alleluia, ſed ieiunandi initium varium fuerit in Eccleſia; Quidam enim ieiunium inchoabant à Septuageſima; Alij à Sexageſima, alij à Quinquageſima; nihilominùs omnes per quadraginta circiter dies ieiunabant. Nam, vt teſtatur Carolus Magnus in Epiſtola ad Alcuinum noſtrum præceptorem ſuum, qui à Septuageſima

inchoabant, intermittebant ieiunium die Dominico, Feria quinta, & Sabbatho: Qui verò à Sexageſima, detrahebant Dominicum diem, & Feriam quintam: Qui tandem à Quinquageſima, non ieiunabant die Dominico, Feria quinta, & Sabbatho maioris Hebdomadæ; & ſic omnes diebus quadraginta, vel circiter ieiunabant. Romana verò Eccleſia ieiunat à Feria quarta Cinerum ante Dominicam Quadrageſimæ, quibus quatuor diebus additis ad triginta ſex hebdomadarum Quadrageſimæ, exceptis Dominicis, complet Quadragenarium ieiunium ad imitationem Chriſti.

Cantica, Matutini] Vtrumque nomen eſt in nominatiuo, vt faciant ſenſum diſiunctiuum.

Qualiter Diuina Opera per diem agantur.

CAP. XVI.

Pſal. 17. LXV. VT ait Propheta: Septies in die Laudem dixi tibi. Qui Septenarius ſacratus numerus à nobis ſic implebitur, Si Matutini, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſperæ, Completorijque tempore noſtræ ſeruitutis Officia perſoluamus. Quia de his diur-

nis

nis horis dixit: Septies in die Laudem dixi tibi. Nam de nocturnis vigilijs idem ipſe Propheta ait: Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. Ergo his tēporibus referamus Laudes Creatori noſtro ſuper iudicia iuſtitiæ ſuæ: ideſt Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſpera Completorio, & nocte ſurgamus ad confitendum ei.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

V*Eſperæ*] Alj legunt, *Veſperi*. In fœminino tamen vſurpatur à Ciceron. 2. in Catil. ibi. *Si accelerare volunt, ad veſperam conſequentur*. Et à Plaut. in Curcul. *Si media nox eſt, ſiuè eſt prima veſpera*.

Dixit] Vulgati habent, *Dicit*; Et addunt, *Propheta*. Sed ſuperfluè, nam ab initio iam præmiſerat, *Vt ait Propheta*.

Prima, Tertia, Sexta, &c.] Ex hoc Regulæ loco apparet, Horas Canonicas Monaſticas eſſe octo; nàm qui eas Septenario concludunt, vniunt Laudes, ſeù Matutinos cū Nocturnis. Vide Azorium, & Hæftenum.

Cur autèm Prima, Tertia, Sexta, &c. inſtituta fuerit recitatio Diuini Officij; non verò Hora Secunda, Quarta, Quinta, Octaua, &c.? Explicat

Caſſianus lib. 3. cap. 3. quia his horis Euangelicus ille Paterfamilias operarios conduxit in vineam ſuam, plura ibi. Alij miſticam ſignificationem deducunt ex horis Paſſionis Chriſti. Riccardus noſter, ex Clement. Rom. conſtit. Apoſt. lib. 8. cap. 34. apud Caſal. pag. 201. Cæterùm ſepoſitis in præſentia myſterijs, quæ accomodari ſolent ritibus poſt horum inſtitutionem, fortaſsè his potiùs horis inſtituta fuerunt Diuina Officia, eò quòd horæ iſtæ eſſent magis officijs ciuilibus frequentatæ. Ad quod facere videtur Epigramma Martialis lib. 4. *Prima ſalutantes.*

Quot Pſalmi per eaſdem horas canendi ſunt.

CAP. XVII.

LXVII. IAm de Nocturnis, vel Matutinis digeſſimus ordinem Pſalmodiæ: nunc de ſequentibus horis videamus. Prima hora dicantur Pſalmi tres ſingillatim, & non ſub vna Gloria. Hymnus eiuſdem horæ poſt Verſum, Deus in adiutorium, antequã Pſalmi incipiantur. Poſt expletionem verò trium Pſalmorum recitetur Le-

ctio vna, Verſus, & Kyrie eleiſon, & Miſſæ ſint: Tertia vero, Sexta, & Nona eodem ordine celebretur Oratio: ideſt Verſus, Hymni earundem Horarum, terni pſalmi, Lectio, & Verſus, Kyrie eleiſon, & Miſſæ ſint. Si maior Cōgregatio fuerit, cum Antiphonis; Si vero minor, indirectum pſallantur. Veſpertina autem Synaxis quatuor Pſalmis cū Antiphonis terminetur: poſt quos Pſalmos Lectio recitāda eſt: inde Reſponſorium, Ambroſianum, Verſus, Canticum de Euangelio, Letaniæ, & Oratio Dominica, & fiant Miſſæ. Cōpletorium autem trium Pſalmorum dictione terminetur; Qui Pſalmi directanei, & ſine Antiphona dicendi sūt. Poſt quos Hymnus eiuſdem horæ, Lectio vna, Verſus, & Kyrie eleiſon, & Benedictiones, & Miſſæ fiant.

VA-

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

LXVIII. IN titulo. *Quot*] Etiã ex noſtris quædam membranæ recentiores legunt, *Quanti*. Vetuſtiores habent, *Quot*.

Canendi] Editi reponunt, *Dicendi*. Sed retinendum, *Canendi*. Nam antiqui Pſalmos non ſimpliciter recitabant, ſed modulabantur quodam genere cantus. Sed iam ſuprà de hoc.

Iam de Nocturnis] Caramuel particulam *De*; ait poſitam loco *Prò*. Sed æquè bene legitur in ſua propria ſignificatione, *De*.

Hymnus] Aliqui *Hymnum*.

Tertia verò, Sexta, & Nona eodem ordine celebretur Oratio, ideſt Verſus, &c. Quidam interpungunt poſt celebretur, Quaſi ſenſus ſit, *eodem ordine celebretur, ideſt Oratio, Verſus, &c.* Sed neque ex fide noſtrorum, neque ad ſenſum textus; ſiquidem ante Verſum non eſt dicenda Oratio. Standum igitur noſtræ interpunctioni: ita vt ſit ſenſus, Tertia, Sexta, & Nona, ideſt ad Tertiam, Sextam, & Nonam eodem ordine celebretur Oratio, nempè Officium Diuinum; vt primò dicatur Verſus Deus in adiutorium, deindè Hymnus; tum tres Pſalmi, &c. Sicut paulo ante diſpoſuerat de Prima, & in cap. ſequenti; vel ſic: Tertia verò Sexta, & Nona, Oratio eodem ordine celebretur, ideſt Verſus, &c.

Cum Antiphonis] Addunt quidam, *Dicantur*, ſed otioſè; nam eodem verbo *pſallantur* regitur vtrun-

vtrunque Periodi membrum.

Lectio] Ideſt *Capitulum*.

Directanei] Adiectiuè, non aduerbialiter, *Directaneè*, vt legunt cæteri. Quam noſtram Lectionem laudat Hæftenus, vt meliorem. *Directanei* autem idem eſt, quod ſupra, *indirectum*, ideſt *ſine Antiphona*, & *abſque flexione toni*, ſeù *non cum tanta ſolemnitate*, vt ait Riccardus. Ex quibus lucem accipiet, quod ſcripſit Voſſius lib.3. de Vitijs ſermonis cap.9. vbi verbum *Directaneus* interpretatur, id quo dirigitur vita monaſtica: ſed reuera *Directaneus* pertinet ad cantum.

Benedictiones] In plurali. Refert autem Bernardus noſter, de more fuiſſe Caſinenſis Cœnobij, vt ſi Abbas eſſet præſens in Choro, hæc benedictio daretur ab Abbate: eo tamen abſente, non Superior Chori, ſed qui agebat Officium, hanc bebedictionem dabat. Capitular. Caroli Magni, Additione 1. cap. 48. *Vt benedictio poſt Completorium à Sacerdote dicatur*.

LXIX. *Et Miſſæ fiant*] Caramuel in ſuo Nomenclatore nomine *Miſſæ* hic intelligi vult Orationes, ſeù Collectas, & Commemorationes, quibus Horæ claudi nùnc ſolent. Et in expoſitione Regulæ num. 1279. Et ſumpſiſſe videtur ex Smaragdo apud Cerdam *Miſſæ*, inquit, *ſunt Collectæ illæ vltimæ Officij: nempè Oratio correſpondens diei, & ſi quæ tùnc fiebant Confeſſorum, aut Martyrum Commemorationes*. Sed mirari licet, doctiſſimo, & acutiſſimo viro hanc interpretationem placuiſſe; cum obuium, & indubitabile ſit ſignificatũ *Miſſæ* in præſenti. Conſideranti enim textum, clariſſimè

appa-

apparebit, vocabulum *Miſſæ* poſitum hìc fuiſſe non nominaliter, ſed verbaliter; ità vt *Fiant Miſſæ*, ſeù *Miſſæ ſint*, idem valeat, ac *Dimittantur, Finiãtur, Finitæ ſint, cõpletæ ſint* Horæ illæ, & ideò, quod hic dicit, *Miſſæ ſint*, ſeù *Miſſæ fiant* ſupra cap. 9. ad eundem ſenſum dixerat, *& ſic finiantur Vigiliæ Nocturnæ*, & cap. 12. alia phraſi dixit, *Et completum eſt*. Quod notauit etiam Smaragdus. Quam intelligentiam (quod magis mireris) agnouit ipſemet Caramuel num. 1235. neque dici poteſt, textum pati vtranque expoſitionem: nam ex Regulæ præſcripto Horæ Canonicæ claudebantur Oratione Dominica; neque vlla apud Noſtros reperitur commemorationum commemoratio. Dicto igitur Kyrie eleyſon, & Pater noſter, Miſſæ fiebant, ideſt finiebãtur Horæ, abſque, Collectis, & Orationibus, vt ſupra notauimus. Sic latina phraſi dicimus, *Miſſa faciamus hæc*, Plaut. in Pſeud. act. 2. ſc. 2. *Omnia Miſſa habeo*. Caſſian. etiã lib. 3. cap. 7. *Congregationis Miſſam*, ideſt dimiſſionem. Et in Liturgia Chriſoſt, *Sacerdos facit Miſsã*, hoc eſt *dimittit Populum*. Vnde in antiquiori Codice Abbatis Ioannis legitur, *Kyrieleiſon, & Miſſa* ideſt *Kyrieleiſon, & dimiſsio, ſeù finis*. Sumpta verò videtur hæc D. Benedicti loquendi forma ex Sacra Scriptura, cuius vnicè ſtudio incumbebat; nã Leuit. 16. *Ex duabus hoſtijs vna*, inquit, *occidatur, altera Miſſa fiat*, quod vulgata legit, *Emittat eam in ſolitudinem*. Vide infra cap. 38. & Martinium in Lexico, verbo *Miſſa*; vbi plures huius nominis acceptiones refert.

Quo

Quo ordine ipſi Pſalmi dicendi ſunt.

C A P. XVIII.

LXX. IN primis dicatur Verſus: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina: Et Gloria. Inde Hymnus cuiuſque Horæ. Deinde Prima Hora Dominica dicenda quatuor Capitula Pſalmi Centeſimi octaui decimi. Reliquis verò Horis, ideſt Tertia, Sexta, vel Nona terna Capitula ſupraſcripti Pſalmi Centeſimi octaui decimi dicãtur. Ad Primam autem ſecundæ Feriæ dicantur tres Pſalmi, ideſt Primus, Secundus, & Sextus. Et ita per ſingulos dies ad Primam vſque Dominicam dicantur per ordinem terni Pſalmi vſque Nonum decimum Pſalmum; ita ſane, vt nonus Pſalmus, & Septimus decimus partiãtur in binas Glorias. Et ſic fit, vt ad vigilias Dominicas ſemper

à Vigeſimo incipiatur. Ad Tertiam vero, Sextam, Nonamque Secundæ Feriæ, nouem Capitula, quæ reſidua ſunt de cẽteſimo octauo decimo Pſalmo ipſa terna per eaſdem Horas dicãtur. Expenſo ergo Pſalmo Centeſimo octauo decimo duobus diebus, ideſt Dominico, & Secũda Feria, Tertia Feria iam ad Tertiam, Sextam, vel Nonã pſallantur terni pſalmi à Centeſimo nono decimo vſque centeſimum vigeſimum ſeptimum; ideſt pſalmi nouem. Quinque pſalmi ſemper vſque Dominicam per eaſdem Horas itidẽ repetantur; Hymnorum nihilominus, Lectionum, vel verſuum diſpoſitione vniformi cunctis diebus ſeruata; & ita ſcilicet ſemper Dominica à centeſimo octauo decimo incipiatur.

LXXI. Veſpera autem cotidie quatuor pſalmorum modulatione canatur. Qui pſalmi incipiantur à Centeſimo nono vſque Centeſimum quadra-

dragefimum ſeptimum , exceptis his, qui in diuerſis Horis ex eis ſequeſtrantur : ideſt à Centeſimo ſeptimo decimo vſque Centeſimum biceſimum ſeptimum, & Cẽteſimo triceſimo tertio, & Centeſimo quadrageſimo ſecũdo . Reliqui omnes in Veſpera dicẽdi ſunt. Et quia minus veniunt tres pſalmi; ideo diuidendi ſunt, qui ex numero ſupradicto fortiores inueniuntur, ideſt Centeſimus triceſimus octauus, & Centeſimus quadrageſimus tertius, & Centeſimus quadrageſimus quartus. Centeſimus vero ſextusdecimus, quia paruus eſt,cum Centeſimo quintodecimo coniungatur. Digeſto ergo ordine pſalmorum veſpertinorum,reliqua, ideſt Lectiones, Reſponſoria, Hymni, Verſus, vel Cantica, ſicut ſupra taxauimus, impleantur. Ad Completorium vero cotidie ijdem pſalmi repetantur : ideſt Quartus, Nonageſimus,& Centeſimus triceſimus tertius.

Diſpoſito ordine Pſalmodiæ Diurnæ reliqui omnes pſalmi, qui ſuperſũt æqualiter diuidãtur in ſeptem noctiũ vigilias, partiẽdo ſcilicet, qui inter eos prolixiores ſunt pſalmi, & duodecim per vnamquamque conſtituantur noctem. Hoc præcipue commonentes, vt ſi cui forte hæc diſtributio pſalmorum diſplicuerit, ordinet ſi melius aliter iudicauerit; dum omnimodis id attendatur, vt omni hebdomada Pſalterium ex integro numero cẽtum quinquaginta pſalmorum pſallatur. Et Dominico die ſemper à capite repetatur ad vigilias: quia nimis iners deuotionis ſuæ ſeruitium oſtẽdunt Monachi, qui minus à Pſalterio cum Canticis conſuetudinarijs per Septimanæ circulum pſallunt: dum quando legamus Sãctos Patres noſtros vno die hoc ſtrenuè impleſſe, quod nos tepidi vtinam Septimana integra perſoluamus.

VA-

VARIÆ LECTIONES, & Notæ:

LXXVII. IN *primis dicatur Verſus*] Addunt aliqui, *In primis ſemper diurnis horis dicatur Verſus*. Pariſ. Sed nullibi extant ea verba apud noſtros.

Cuiuſque] Alij. *Vniuſcuiuſque.*

Quatuor Capitula] Ideſt, quatuor diuiſiones, ſeù quatuor Octonarij Pſalmi *Beati immaculati*, qui diuiditur in viginti duos Octonarios.

Vel Nona] *Et Nona*, alij.

Suprascripti] *Supradicti*, plerique.

Vſque Dominicam] Sine, *Ad*, de more textus.

Et ſic ſit] *Et ſic ſiat*, placet aliquibus, ſed rectiùs noſtri.

Ad Vigilias Dominicas] Adiectiuè.

Ipſa terna per eaſdem horas] Addunt alij, *Ipſa terna Capitula per eaſdem horas*, ſed meliùs noſtri, vt conſideranti patebit.

Et ita ſcilicet ſemper] Editi interponunt, *vt ſemper.*

Veſpera] In ſingulari.

LXXIII. *Vſque Centeſimum biceſimum*] In antiquioribus ſæpè reperimus *Biceſimum*, prò *Viceſimum*, *V*, in *B* commutato, quod vſitatum apud populos, origine Græcos, quales multi in Regno Neapolitano.

Fortiores] Idem, quod infra dicit, *Prolixiores.*

Ad Completorium] Antiquiores legunt, *Ad Completorios.*

Dum

Dum quando legamus] Conſtans noſtrorum Lectio. Alij verò, *Cum legamus*, vel *Dum legamus*, vel *Quando legamus*. Sed S. Pater ex vulgo ſumpſit illud, *Mentre che leggiamo*, & ad idiotarum captum, qualicunque latinitate donauit.

De Diſciplina pſallendi.

CAP. XIX.

LXXIV. VBique credimus, Diuinã eſſe præſentiam, & oculos Domini in omni loco ſpeculari bonos, & malos: Maxime tamen hoc ſine aliqua dubitatione credamus, cum ad opus Dininũ aſſiſtimus. Ideo ſemper memores ſimus, quod ait Propheta: Seruite Domino in timore: Et iterum: Pſallite ſapienter. Et, In conſpectu Angelorũ pſallam tibi. Ergo conſideremus, qualiter oporteat in cõſpectu Diuinitatis, & Angelorũ eius eſſe: Et ſic ſtemus ad pſallendum, vt mens noſtra concordet voci noſtræ.

Pſal. 2.
Pſal. 46.

VA-

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

LXXV. C*Redamus*] In vulgatis eſt, *Credimus*. Meliùs noſtri. *Douiamo credere*.

Oporteat] Addunt alij. *Nos*.

Angelorum eius] Vacat pronomen in externis, ſed aptiùs in noſtris ex phraſi Scripturæ, *Coram Angelis* Dei. *Per Angelum ſuum*.

Stemus] Antiqua Monachorum conſuetudine pſallendi ſtando, quam inuiolabiliter adhuc ſeruamus.

De Reuerentia Orationis.

CAP. XX.

LXXVI. SI, cum hominibus potentibus volumus aliqua ſuggerere, nō præſumimus; niſi cum humilitate, & reuerentia: quanto magis Domino Deo Vniuerſorum cum omni humilitate, & puritatis deuotione ſupplicandum eſt? Et non in multiloquio; ſed in puritate cordis, & compunctione lacrymarum, nos exaudiri ſcia-

ſciamus. Et ideo breuis debet eſſe, & pura oratio: niſi forte ex affectu inſpirationis Diuinæ gratiæ protēdatur. In Cõuentu tamen omnino breuietur oratio: & facto ſigno à Priore omnes pariter ſurgant.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

LXXVIII. ET *puritatis deuotione*] Hebræa phraſi, prò, *Puritate deuotionis*. Vide Notas ad caput 28.

Ideò breuis debet eſſe, & pura Oratio] Hunc Regulæ locum intelligunt multi de Oratione Mentali.

Et facto ſigno à Priore, omnes pariter ſurgant] Ergò in vltima parte Officij genua flectebant. Codex Ioannis id fieri teſtatur ad *Kyrie eleiſon*. De ſignis autem inchoandi Officij idem Codex ſic refert. *Matutinus, & Prima primo ſigno incipiuntur. Tertia, Sexta, & Nona in ſecundo ſigno incipiuntur. Veſpera in tertio ſigno. Completorium verò, cum poſt Lectionem ſonuerit ſignum, iacentibus in Oratione fratribus, facit Abba ſignum, vt confiteātur: Confeſſione verò facta, ſurgant, & canant Cõpletorium*, ſic ille. Ex quibus duo colligi poſſunt. Primum, antiquos ante incœptionem Officij cõſueuiſſe in Choro genuflectere, quod idem auctor

ctor apertè explicat, dicens, *Sicut in fine, facto ſigno, ſurgendum eſt, ità etiam in principio Officij intelligi debet*. Alterum eſt, Confeſſionem tùnc fieri conſueuiſſe ab omnibus ſimùl.

De Officij Diuini recitandi obligatione apud Monachos, doctiſſimè differit, vt ſolet, Caramuel, Eam obligationem apud Clericos incœpiſſe anno 540. teſtatur Sigebertus. Vide Magrum.

LXXVIII. De paruo tamen Officio B. Mariæ mouet quæſtionẽ idem Caramuel. Qua obligatione recitetur à Ciſtercienſibus. Reſoluit autèm, eos teneri ex conſuetudine. Cuius tamen originem cum inueſtigaſſet à Senioribus Hiſpaniæ, reſponderunt, ſe neſcire. Alij in Belgio opinantur, eam recitationem introductam fuiſſe vice laboris manuum, à quo Monachi ceſſarunt. Alij, vice abſtinentiæ à carnibus.

Sed rem ex noſtris monumentis illuſtremus. In hoc Sacro Monaſterio Caſinenſi iàm à nongentis, & prope mille annis, præter Officium Diuinum, in Regula præſcriptum, recitari conſueuerunt parua Officia B. Virginis, & S. P. Benedicti ex præcepto Gregorij III. & Zachariæ Pontificũ, prout teſtatur Petrus Diaconus (non Paulus, vt refert Gauantus in Rubr. Breuiarij ſect. 9. cap. 1.) in expoſitione cap. 64. Regulæ, quæ extat in Bibliotheca Caſinenſi, vnde ad Anicianam exemplar. Deſcribens enim Petrus ritum electionis, & Benedictionis noui Abbatis Caſinenſis, ſic ait. *Hodiè Abbas nihil aliud, niſi panem, & aquam comedat; & Canonica ſeptem Horarum Officia in commemoratione B. P. Benedicti nunquam dimittat. Sal-*

uo ſcilicet eo, quod in honore Sanctæ Dei Genitricis perſolui conſuetudo eſt. Quod etiam generaliter ſub diſtricto præcepto Caſinenſi Congregationi Zacharias Papa obſeruare præcepit. Conſtituens, vt omni tempore, tàm Æſtatis, quàm Hiemis, ante Nocturnale, vel Diurnale Officium, mox vt Fratres in Choro conuenerint, incipiant Officium, quod Regula præcipit, adiuncto etiam Sanctæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ Officio. Cuius inſtitutionis congruitatē deinde explicans Petrus, tandem ſubiungit. *Propter hæc igitur ſeptem leuia, paruaque peccata, quæ prò fragilitatis humanæ debilitate Monachi in B. Benedicti Regulam delinquunt, & cauere non poſſunt, hoc à Zacharia, & eius anteceſſore Gregorio Papa ſtatutum eſt, & per Apoſtolicam auctoritatem præfixum, vt omni tempore, tàm Æſtatis, quàm Hiemis, diebus, & noctibus, mox vt Fratres in Choro conuenerint, incipiant Officium in commemoratione S. Benedicti, & eo expleto, &c.* ſic Petrus.

Ex quibus plura colligo. Primo recitationem parui Officij B. Mariæ non fuiſſe primùm inſtitutam à Ciſtercienſibus. Secundo non fuiſſe inſtitutam à Petro Damiani circa annum 1056. vt ait Baronius. Tertio non fuiſſe introductam vice laboris manuum, vel abſtinentiæ à carnibus. Nam vtraque hæc obſeruantia vigebat Caſini ſimul cum recitatione dicti Officij. Quarto veroſimile eſt, originem huius conſuetudinis apud Ciſtercienſes proceſſiſſe à Caſinenſibus, quemadmodū in alijs multis ad fontem Caſinenſem recurrerūt, vt colligitur ex noſtro Bernardo. Quinto eam conſuetudinem fuiſſe de præcepto apud Caſinē-

ſes.

ſes. An autèm Ciſtercienſes illam cum eadem rigoroſa obligatione à Caſinenſibus mutuauerint, alijs iudicandum relinquo.

Colligo demùm, tria olim fuiſſe in hoc Sacro Monaſterio officia quotidiana. Regulare maius. Paruum S.P.Benedicti, & paruum B.Mariæ, cuius ritum, & ſeriem à Petro Diacono deſcriptam, dabit noua editio Chronici Caſinenſis, quam emaculatam, genuinam, notis illuſtratam, & vindicatam parat vir, Sacræ huius Domus filius, nunc etiam Pater.

De Decanis Monaſterij.

CAP. XXI.

LXXIX. SI maior fuerit Congregatio, eligantur de ipſis Fratres boni teſtimonij, & Sanctæ Conuerſationis, & conſtituantur Decani, qui ſollicitudinem gerant ſuper Decanias ſuas in omnibus ſecundũ mandata Dei, & præcepta Abbatis ſui. Qui Decani tales eligantur, in quibus ſecurus Abbas partiatur onera ſua; & non eligantur per ordinem, ſed ſecundum vitæ meritum, & Sapiẽtiæ doctrinam.

Quique Decani, ſi ex eis aliqua fortè quis inflatus ſuperbia, repertus fuerit reprehenſibilis, correptus ſemel, & iterum, atque tertio, ſi emendare noluerit, deijciatur, & alter in loco eius, qui dignus eſt, ſubrogetur. Et de Præpoſito eadem conſtituimus.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

LXXX. IN titulo. *De Decanis Monaſterij*] Bene addidit, Monaſterij, quia erat etiam Decanus in militia, qui decem militibus, ſub vno papilione degentibus, præeſſet, ipſe vndecimus, caput Cõtubernij, vt eſt apud Veget. lib. 2. c. 14. & Iſidor. lib. 9. orig. cap. 3. Extra militiam, & in plebibus etiam Decani fuere iudices minores, qui Comiti ſuberãt. Comes enim Pagi erat vniuerſi iudex. Suberant ei Centenarij, qui per centenas ius dicebant. His Centenarijs minores Decani, qui tantummodò per Decanias dicebant ius: vnde minoribus presbyteris conferuntur à Strabone. De his incertus ſcriptor veterum formularum. cap. 10. *Centenarijs, & Decanis, vel omnibus in Chriſto credentibus*. Hincmarus Epiſt. 4. cap. 15. *Comites, & Vicarij, vel etiam Decani plurima placita conſtituant*. Ex militia igitur, & ex Plebibus translatum eſt nomen ad Monaſteria, &

Ca-

Canonicos. Voſſius. Auguſt. de moribus Eccleſiæ cap. 31.

Sex autèm conditiones in eligendis Decanis ex Regula attendi debere, docent expoſitores. Prima, ſi ſint boni teſtimonij, ideſt affabiles, & amabiles. Secunda, Si habent bonam, & ſanctam conuerſationem. Tertia, ſi ardentes ſunt in profectu animarum. Quarta, Si diſcretionē habeant. Quinta, Si Dei mandatis obtemperando, præcepta Abbatis ſui non contemnant: hoc eſt, vt per ſuum libitum nil aliquid faciant, niſi ſicut ab Abbate eis iniunctum fuerit. Sexta, Si obedientes in Abbatis præceptis, Dei mandata non negligant. Si vna ex his defuerit, non debet eligi Decanus.

Quique Decani, ſi ex eis aliqua fortè quis inflatus ſuperbia] Ità omnes Codices noſtri. Alij verò ſic, *Quodſi quis ex eis aliqua fortè inflatus ſuperbia*. Planior quidem hæc lectio. Sed in noſtra nihil emendandum.

Quomodo dormiant Monachi.

CAP. XXII.

LXXXI. **S**Inguli per ſingula lecta dormiant. Lectiſternia pro modo conuerſationis ſecundum diſpenſationem Abbatis ſui accipiant. Si poteſt fieri, omnes in vno loco dormiant:

miant: Sin autem multitudo non ſinit, deni, aut viceni cum Senioribus, qui ſuper eos ſolliciti ſint, pauſent. Candela iugiter in eadem Cella ardeat vſque mane. Veſtiti dormiant, & cincti cingulis, aut funibus, & cultellos ad latus ſuum non habeant, dum dormiũt: ne forte per ſomnium vulnerentur dormientes, & vt parati ſint Monachi ſemper, & facto ſigno abſque mora ſurgentes, feſtinent inuicem ſe præuenire ad opus Dei; cum omni tamen grauitate, & modeſtia. Adoleſcentiores Fratres iuxta ſe non habeant lecta, ſed permixti cum Senioribus. Surgentes vero ad opus Dei inuicem ſe moderate cohortentur propter ſomnolentorum excuſationes.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

LXXXII. **P***Er ſingula lecta*] Malè ſapit Grammaticis *Lectum*, prò *Lectus*. Sed in neutro etiam genere reperitur apud Vlpianũ *l. Librorum* §. *fin. ff. de Legatis* 3. *Lectum legatum continet, & fulcra*, vbi Gloſſa, *Lectum hic ponitur in neutro genere, aliàs in maſculino l. lectus ff. de peric. & commod. rei venditæ*. Eſt igitur nomen ambigui generis, vt notauit Briſſonius apud Hæſtenum, & frequenter in alterutro genere vſurpatur à Iuriſconſultis Bart. Bertachin. & alijs. Codex Ioannis ſemel habet *Lecta*, & ſemel *Lectos*. Cæteri ſemper in neutro.

LXXXIII. *Lectiſternia*] Hæſtenus per *Lectiſternia* intelligit ſtramenta Lectorũ, quæ ab Abbate accipienda ſunt pro cuiuſq; conditione, nempè ſenectutis, debilitatis, &c. nã de ordine, & ſitu lectorum diſponitur infra, cum dicitur, *Adoleſcentiores Fratres iuxta ſe non habeant lecta*. Noſtri verò expoſitores per Lectiſternia intelligunt ordines lectorum, ſeù ſitus, & locos, vbi ſternuntur lecti. Diſpoſitio enim lectorum ad Abbatem remittitur. Bernard. Riccard. & alij: Et ideò addit, *Prò modo conuerſationis*, ideſt diſponantur ab Abbate lecti, non ſecundum ordinem Religionis, ſed ſecundum qualitatem vitæ, & conuerſationis, vt ſcilicet inter tepidos permiſceat feruentiores. Poſteà ſpecialiùs præſcribit, vt adoleſcentes non habeant lectos vicinos.

Diſpen-

Diſpenſationem] Ideſt, *Diſtributionem*.

Accipiant] Aliqui præmittunt, *Singuli accipiant*.

Cum Senioribus] *Suis*, addunt alij, ſed meliùs ſine hoc pronomine. Hìc enim nomen Senioris non ſumitur comparatiuè (quem ſenſum redderet, ſi adderetur, *Suis*) ſed de Senioribus ſimpliciter. Aliàs Adoleſcentiores habere poſſent iuxta ſe lectos; ſi alter altero vna hora priùs veniſſet in Monaſterium; quod eſt contra textum.

LXXXIV. *In eadem Cella* Hæc Aula propriè dicebatur *Dormitorium*. Nùnc verò nomine Dormitorij accipimus etiam Deambulatorium ante Cellas: eò quòd olim erat pars Aulæ, in qua dormiebant. Antiquitùs enim Dormitorium erat Aula, in qua plures lecti diſpoſiti erant, abſque diuiſione. Deindè diuiſio parietum inter lectos incœpit introduci, ſed ſub eodem fornicè, ſeù laqueari; & nihilominùs totum conclaue Dormitorij nomen retinuit. Tandem Cellarum parietes vſque ad ſuperiorem fornicem magnificentiori ſtructura creuerunt ex recenti Architectura.

Et cultellos] In pleriſque lego, *Et cultellos ſuos*; ſed probabilior noſtra Lectio.

Per ſomnium] Nullus noſtrorum diſcrepat in hac lectione, & tamen ab alijs legitur, *Per ſomnū*. Sed cum addat, Dormientes, redūdaret, *Somnum*. Quare omninò legendum, *Somnium*. Non igitur habeant cultellos ad latus ſuum, nè fortè contingat, dum dormiunt; vt per inania ſomnij ſimulachra incitentur ad iram, & vulnerentur. Quod aliquibus accidiſſe, narrant hiſtoriæ.

De

De Excommunicatione Culparum.

CAP. XXIII.

LXXXV. SI quis Frater contumax, aut inobediens, aut ſuperbus, aut murmurans, vel in aliquo contrarius exiſtens Sanctæ Regulæ, & præceptis Seniorum ſuorum, contemptor repertus fuerit; hic, ſecũdum Domini noſtri præceptum, ammoneatur ſemel, & ſecundo ſecrete, à Senioribus ſuis. Si non emendauerit obiurgetur publice coram omnibus. Si vero neque ſic correxerit; ſi intelligit qualis pœna ſit, excommunicationi ſubiaceat. Sin autem improbus eſt, vindictæ corporali ſubdatur.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

LXXXVI. IN titulo. *Excommunicatione*] Quid excommunicationis vocabulo hic intelligi velit textus, diſcrepant expoſitores. Caramuel cenſet, accipi debere prò Cenſura, non Eccleſiaſtica,& morali,quæ afficiat animam; ſed Regulari, & Ciuili, quæ ſcilicet ſit pœna inflicta ab Abbate, tanquam Patrefamilias:

Hæftenus ex aduerſo mauult intelligi de Excommunicatione Eccleſiaſtica,quæ ſit vera Cenſura moralis, & reſpondet omnibus argumentis Caramuelis, licet ipſo non citato.

Vtraque opinio multos habet aſſeclas, & patronos. Primæ tamen probabilitatem confirmare poteſt textus huius Capitis, & capitis 28. Nam recenſens gradus pœnarũ Regularium, collocat verbera poſt excommunicationem, tanquam acriorem vindictam. Si autèm loqueretur de excommunicatione morali, grauior hæc eſſet verberibus, vtpotè animam afficiens.

Deindè in cap.70.prohibet; ne quis alium excõmunicare præſumat,ſine licentia Prælati. Quis autèm ſuſpicari potuiſſet, priuatum Monachum propria auctoritate auſurum excommunicare confratrem,ſi de excommunicatione Eccleſiaſtica loqueretur,quæ requirit legitimam iuriſdictionem in ferente? niſi fortè in eo loco excommunicationis nomine intelligatur maledictio, & execra-

cratio, vt ibi notabimus.

Tertiò inter effectus excõmunicationis Regularis recenſetur cap. 43. Subtractio vini. Quid autèm hoc ad Cenſuram Eccleſiaſticam?

Quarto hanc excommunicationis legem ſumpſiſſe videtur penè ad verbum S.P.B. à D.Baſilio. Baſilius verò loqui videtur de excommunicatione tantùm pœnali, & Oeconomica. Nam in ſermonibus de inſtitutione Monachorum ſic habet. *Iis autem, qui culpa aliqua deprehenſi fuerint, ad magnitudinem delicti, pœnæ etiam modus accomodator, videlicet, vel in communi cum cæteris Pſalmorum decantatione intereſſe prohibeantur; vel ad Orationis communionem neutiquam admittantur; itemque à cibi communicatione arceantur*. Sic ille.

Quinto excommunicationis nomen vſurpatũ olim inuenitur etiam à Principibus ſecularibus. Capit. Caroli Magni lib. 3. cap. 72. *Quicunque in exercitu ebrius inuentus fuerit, ità excommunicetur, vt in bibendo ſola aqua vtatur, quòuſque ſe male feciſſe cognoſcat*. Nó ergò neceſſariò de Eccleſiaſtica intelligendum, ſed aliquando etiam de Ciuili.

Denique Eccleſiaſticæ Cenſuræ effectus regulariter ſeparari non poſſunt; cum tamen Monaſtica iſta pœna per gradus quoſdam à Regula infligatur. Igitur tota regularis eſt, & ad arbitriũ Prælati, vtpotè Patrisfamilias. Neque contrariũ colligi poteſt ex noſtris expoſitoribus. Cæterùm in hac quæſtione mihi videtur non anxiè laborãdum: Nàm, ſiuè de Eccleſiaſtica Cenſura intelligatur textus, ſiuè de Regulari, in idem ferè recidit, quod non eſt huius loci. Quod autèm hic

aſſerit Caramuel, S.P. Benedictum Regulam ſuã ſcripſiſſe, antequàm Caſinenſe Monaſterium erexiſſet, alibi operoſius expendendũ relinquimus.

Vel in aliquo] *Vel in alio*, editi.

Sin autèm] *Si autem*.

Vindictæ] Ideſt, *Pœnæ*, *Caſtigationi*.

Qualis debet eſſe modus Excommunicationis.

CAP. XIV.

LXXXVII. SEcũdum modum culpæ, Excommunicationis, vel diſciplinæ menſura debet extendi: Qui culparum modus in Abbatis pendeat iudicio. Si quis tamen Frater in leuioribus culpis inuenitur, à menſæ participatione priuetur. Priuati autem à menſæ conſortio iſta erit ratio, vt in Oratorio Pſalmum, aut Antiphonam nõ imponat, neque Lectionem recitet, vſque ad ſatisfactionem. Refectionem autem cibi poſt Fratrũ refectionem ſolus accipiat. Vt ſi ver-

bi-

bigratia Fratres reficiunt Sexta hora, ille Frater Nona: Si Fratres Nona, ille Veſpera, vſque dum ſatisfactione congrua veniam conſequatur.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

LXXXIII. A *Menſæ*] Vulgati, *Tantùm à menſæ.* Pariſ. Salmant. Perez.

Satisfactionem] Interpretantur aliqui, *Proſtrationem*. Vide caput 44.

Accipiat] Addunt impreſſi, *Menſura, vel hora, qua præuiderit Abbas ei competere.* Sed deſunt verba hæc in antiquioribus noſtris Codicibus Abbatis Ioannis, & Bernardi Cardinalis, & præſumpta videntur ex capite ſequenti.

Veſpera] Alij, *Veſpertina*.

De Grauioribus Culpis.

CAP. XXV.

LXXXIX. IS autem Frater, qui grauioris culpæ noxà tenetur, ſuſpendatur à menſa ſimul, & ab Oratorio, Nullus ei Fratrum in vllo iun-

iungatur conſortio, neq; in colloquio. Solus ſit ad opus ſibi iniunctum, perſiſtens in pœnitentiæ luctu; ſciens illam
Cor. 1.5. terribilem Apoſtoli ſententiam dicẽtis: Traditum eiuſmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini. Cibi autẽ refectionem ſolus percipiat, menſura vel hora, quam viderit ei Abbas competere. Nec à quoquam benedicatur tranſeunte, nec cibus qui ei datur.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

LXC. *IS autèm Frater*] In vulgatis deeſt, *Autèm*: Demptum opinor, nè videretur continuatus textus huius capitis cum præcedenti. Reuera tamen nouum non eſt apud auctores, vt etiam diſiuncta per titulos capita connectantur cum præcedentibus per coniunctiuas particulas. Abſtineo ab exemplis, cum obuia ſint, & innumera.

Quam] Sic legit Codex Ioannis, & aptè. Alij noſtri legunt, *Qua*, nec ineptè.

Nec à quoquam benedicatur tranſeunte] Ergò de more Monachi ſibi inuicem benedicebant, tranſeun-

ſeuntes. Cuius fraternæ Charitatis,& vrbanitatis formula hæc erat. Iunior tranſiens dicebat, *Benedicite*, Senior reſpondebat, *Deus*. Ideò Petrus Diacon. hic ex Smaragdo, & alijs. *Petenti*,inquit *Benedictionem, nullus reſpondeat, Deus*.

De his, qui ſine iuſſione Abbatis iunguntur Excommunicatis.

CAP. XXVI.

LXCI. SI quis Frater præſumpſerit ſine iuſſione Abbatis Fratri excõmunicato quolibet modo ſe iungere,aut loqui cum eo,vel mandatum ei dirigere, ſimilem ſortiatur excommunicationis vindictam.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

IN titulo. *Iunguntur*] Alij legi malunt,*Iungunt ſe*.

Mandatum ei dirigere] Ideſt,*Nuncium*. Italicè, *Ambaſciata*, vel quid ſimile.

Qualiter debeat eſſe ſollicitus Abbas circa Excommunicatos.

CAP. XXVII.

LXCII. OMni ſollicitudine curã gerat Abbas circa delinquẽtes Fratres: quia nõ eſt opus ſanis Medicus, ſed male habentibus. Et ideo vti debet omni modo, vt ſapiens Medicus, immittere Senpectas, ideſt Seniores Sapientes Fratres, qui quaſi ſecrete conſolentur Fratrem fluctuantem, & prouocent ad humilitatis ſatisfactionem. Et conſolentur eum, ne abundantiori triſtitia abſorbeatur. Sed, ſicut ait Apoſtolus: Confirmetur in eo caritas, & oretur pro eo ab omnibus. Magnopere enim debet ſollicitudinẽ gerere Abbas, & omni ſagacitate, & induſtria curare, ne aliquam de ouibus, ſibi creditis, perdat. Nouerit enim ſe infirmarum curam ſuſcepiſſe ani-

Matth. 9.

Cor. 2. 2.

ma-

marum, non ſuper ſanas tyrannidem: & metuat Prophetæ comminationẽ, per quam dicit Deus: Quod craſſum videbatis aſſumebatis, & quod debile erat proijciebatis. Et Paſtoris boni piũ imitetur exemplum, qui relictis nonaginta nouem ouibus in montibus, abijt, vnam ouem, quæ errauerat, quærere: cuius infirmitati in tantum compaſſus eſt, vt eam ſacris humeris ſuis dignaretur imponere, & ſic reportare ad gregem.

Ezec. 34.
Luc. 16.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

LXCIII. S*Enpectas*] Germana textus, omniſque noſtrorum lectio, & nihilominùs, præter Smaragdum ex antiquis, & recentioribus Hæftenum, omnes, quos vidi, legunt *Senipetas*, & addunt, *Immittere quaſi occultos conſolatores Senipetas*. Sed in primis vacant apud omnes noſtras membranas verba illa, *Occultos conſolatores*. Quare à recentiori manu addita videntur ad periphraſim, & expoſitionem vocabuli *Senpectas:* & fortaſsè, Nota, quæ fuerat marginalis, irrepſit in textum. Deindè redundarent ea verba. Siqui-

dem textus ſufficienter circumſcribit, *Occultos cõſolatores*,cum ſubdidit, *Qui quaſi ſecretè cõſolentur Fratrem fluctuantem* .

Caramuel legens, *Senipetas*, opinatur nomen hoc inuentum fuiſſe à S.P. Benedicto,& compoſitum ex *Senio*,& *Peto*, quaſi *ſenium petentes*, ſicut dicimus *Romipetas*,Romam petentes. Vide illum hìc, & in Nomenclatore Regulæ. Hoc tamen neque ad ſenſum textus, neque ex fide eſt Caſinenſium.

Senpectas igitur omninò legendum. Eſt autem vox è Græco detorta, & aptiſſimè ſignificans intentum. Græcè enim *Sympecta*, eſt Latinè *Colluſor*, quidquid dicat Smaragdus. Quam interpretationem agnouit quidem eruditiſsimus Hæftenus: cæterùm ad textus intelligentiam minùs cõgruè illam aptauit. Ait enim, *Senpectas* ſignificare *Colluſores*, ideſt, cum quibus Frater ille olim ſolitus erat colludere. Reuera tamen Colluſio referenda eſt, non ad Fratres inter ſe, ſed ad Fratres cum Abbate. Quia nimirum ſeniores illi ſapientes, licet ex iuſſione, vel conſenſu Abbatis acceſſerint ad Fratrem excommunicatum: agere tamen debent cum illo, ac ſi ab Abbate miſſi non fuiſſent; ſed tanquam à ſeipſis id agerent ex fraterna charitate, & amicitia. Et hæc Chriſtiana eſt, & laudabilis Colluſio, de qua in textu. Quod Italicè diceremus. *Se l'intendano con l'Abbate, e trattino con lo ſcommunicato, non come mandati dall' Abbate, ma come da ſe*. Atque hanc intelligentiam ſatis luculenter exprimit S. Pater cum ait: *Qui quaſi ſecretè*

con-

conſolentur Fratrem fluctuantem. Non dixit: *Secretè*, ſed *quaſi ſecretè*. Quia, licet miſsi ab Abbate; agere debent tanquam non miſſi ab illo: *Quoniam verò*, inquit Bernardus: *Frater excommunicatus poſset intra ſe ſic cogitare. Nullus mihi loqui poteſt, niſi ex licentia Abbatis: Ergò Abbas ſcit, quòd iſti veniunt ad me conſolandum*. Ideò bellè idem Bernardus modum præſcribit prudenter colludendi: *Poteſt*, inquit, *dicere ſic. Frater, Ego multum compatior tibi, & multum deſiderarem ſalutem animæ tuæ, & diligo te in Chriſto: & ideò, compatiendo tibi, ego obtinui à Domino Abbate, quòd liceat me loqui tibi. Hæc autèm, quæ dicturus ſum, dico ex me; & rogo te, quòd, ſi tu aliquando loqueris Abbati, reconciliatus ſibi, non dicas, quòd ego tibi dixerim iſta verba: Et tùnc incipiat ſuas conſolationes, & alia verba, ad lucrandam animam apta*.

Ità Bernardus. Riccardus etiam; *Poſſunt*, inquit, *Negotium palliare, dicentes, quòd ipſi non ſunt miſsi ab Abbate, & quòd quæ dicimus, ex nobis dicimus*, &c.

Hæc itaque eſt vera Colluſio, vnde nomen *Senpecta*, vel *Sempecta*, vel *Sympecta*. Ad hoc Plautus in Aſinaria apud Lambinum: *Hic aderit, credo, Congerro meus, & Colluſor meus*, quæ Colluſiones frequenter in Comœdijs interueniunt.

LXCIV. At dices. Vnde Sancto Patri vox merè græca? Recurrendum opinor ad huius nunc Regni Neapolitani cum græca lingua commercium: Tùm ob Magnam Græciam, eius Regni Prouinciam. Tùm ob Græcorum in poſteriori-

bus ſeculis in eodem Regno dominium: Tùm etiam, quia Vrbs ipſa Neapolis Græca olim fuit. Vndè etiam hodiè tot Græca vocabula in ea perdurāt. Pauca dabo. *Incegnare*, à græco *Encæniare*, quod eſt, nouum aliquid facere, vel renouare. *Vaſtaſo*, à græco *Baſtagiarius*, ſeù *Baſtagarius*, ideſt *Baiulus*: nam *Baſtaga* eſt onus. *Vuolo*, de iactu retis, à græco *Bolos*, hoc eſt, *Iactus*. Hinc etiam apud Latinos *Bolus*, prima breui, ſignificat *iactū*. Plaut. in Rudente act. 2. ſc. 3. *Nimis lepide ieciſti bolum*. Vbi Lambinus, *Ieciſti iactum*. Nam *Bolus*, prima longa, *buccellam* ſignificat. Cimiliarca, Præfectus Sacrarij, à Cemelijs, vel Cimelijs, quæ ſunt res pretiosè, ſepoſitæ. Et indè ipſum Sacrarium, vbi ſacra reponuntur Cemeliæ nomen apud aliquos obtinuit. Vide Magrum.

Scribens igitur S. Pater Regulam ſuam in hac Italiæ parte, tot titulis græciſſante, mirum videri nequit, quòd eiuſdem regionis vocabulis vſus fuerit.

Gerere Abbas] Addunt alij, *Circa delinquentes Fratres*. Sed nullibi in noſtris.

Per quam] Referendo relatiuum ad *Comminationem*. Alij, *Per quem*, referendo ad *Prophetam*. *Sacris humeris*] Codex Ioannis habet, *In ſacris humeris*.

De

De his, qui ſæpius correpti, non emendauerint.

CAP. XXVIII.

LXCV. SI quis frater frequēter correptus pro qualibet culpa, ſi etiam excommunicatus, non emendauerit, acrior ei accedat correptio: ideſt, vt verberum vindicta in eum procedat. Quod ſi, nec ita correxerit, aut forte (quod abſit) in ſuperbiam elatus, etiam defendere voluerit opera ſua: tunc Abbas faciat, quod ſapiens Medicus. Si exhibuit fomenta, ſi vnguenta adhortationum, ſi medicamina Scripturarum Diuinarum, ſi ad vltimū vſtionem excommunicationis, vel plagarum virgas, etiam ſi viderit nihil ſuā præualere induſtriam, adhibeat etiam, quod maius eſt, ſuam & omnium Fratrum pro eo orationem; vt Dominus, qui omnipotens eſt, operetur ſalutem

cir-

circa infirmum Fratrem. Quod ſi nec iſto modo ſanatus fuerit: tunc iam vtatur Abbas ferro abſciſſionis, vt ait A-
Cor. 1.5. poſtolus: Auferte malum ex vobis: Et
Cor. 2.7. iterum: Infidelis, ſi diſcedit, diſcedat: ne vna ouis morbida omnem gregem contaminet.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

LXCVI. IN titulo. *Correpti.*] Pariſ. legit *Correcti*; ſed meliùs noſtri.

Non emendauerint] Quædam editiones habẽt, *Non emendantur*, Pariſ. Alij: *Emendare noluerunt*. Sæpè S. Pater verbum *Emendo* Neutrum facit.

Correptio] Pariſ. *Correctio*.

Plagarum virgas] Pariſ. *Plagas virgarum*, quæ communis eſt lectio. Sed textus noſter habet, *Virgas plagarum*, ideſt, *Virgas plagiferas*; ſic cap. præcedenti, *Prouocent ad humilitatis ſatisfactionẽ*. Hoc eſt *ad humilem ſatisfactionẽ*. Hebræa phraſi. Nàm apud Hebræos frequentiſſimè ponitur Genitiuus nominis Subſtantiui prò Adiectiuo, v.g. Exodi 3. Terra ſanctitatis, prò, Terra ſancta. Pſalm.44. Virga directionis, prò Virga dirigens. Pſalm. 93. Deus vltionum, prò Deus vlciſcens. Vide Bellarm. In inſtitutionibus Hebraicis par.4. cap.4. num.13. Eſt autèm vſitata hæc locutio à S.Pa-

S. Patre, cæteriſque antiquis, ex iugi ſtudio Sacræ Scripturæ.

Omnipotens eſt] Vulgatæ, *Omnia poteſt*, Pariſ. Codex Ioannis, *Omnia potens*.

Porrò correptionis Regularis ſex ſunt gradus ex hoc loco, Admonitio, Increpatio, Excommunicatio, Verbera, Oratio communis, Expulſio.

Contaminet] *Contagiet*, legit Codex Abbatis Ioannis.

Si debeant iterum recipi Fratres, exeuntes de Monaſterio.

CAP. XXIX.

LXCVII. FRater, qui proprio vitio egreditur, aut proijcitur de Monaſterio, ſi reuerti voluerit, ſpõdeat prius omnem emendationem vitij, pro quo egreſſus eſt: & ſic in vltimo gradu recipiatur, vt ex hoc eius humilitas cõprobetur. Quod ſi denuo exierit, vſque tertio ita recipiatur. Iam poſtea ſciens, omnem ſibi reuerſionis aditum denegari.

VA-

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

VSque tertiò ita recipiatur] Aliquæ editiones omittunt, *Ità*.

Iàm poſtea ſciens] *Poſteà ſciat*, Pariſ. & alij.

De Pueris minori ætate, qualiter corripiantur.

CAP. XXX.

LXCVIII. OMnis ætas, vel intelle-ctus proprias debet habere menſuras. Ideoque quotiens pueri, vel adoloſcentiores ætate, aut qui minus intellegere poſſunt quanta pœna ſit excommunicationis: Hi tales dum delinquunt, aut ieiunijs nimijs affligantur, aut acris verberibus coerceantur, vt ſanentur.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

Q*Votiens*] Prò, *Quoties*, quod cæteri. *Acris verberibus*] *Acribus*, vulgatæ.

De Cellarario Monaſterij qualis ſit.

CAP. XXXI.

IC. CEllararius Monaſterij eligatur de Cōgregatione ſapiēs, maturus moribus,ſobrius, nō multum edax,non elatus, non turbulentus,non iniurioſus, non tardus, non prodigus, ſed timens Deum, qui omni Congregationi ſit ſicut Pater. Curam gerat de omnibus: ſine iuſſione Abbatis nihil faciat: Quæ iubentur cuſtodiat: Fratres non contriſtet: Si quis Frater ab eo forte aliqua irrationabiliter poſtulat;nō ſpernendo eum contriſtet: ſed rationabiliter cum humilitate male petenti deneget. Animam ſuam cu-

Tim. 13. ſtodiat: memor ſemper illud Apoſtolicum, Quia, qui bene miniſtrauerit, gradum bonum ſibi acquirit. Infirmorum, Infantum, Hoſpitum, Pauperumque cum omni ſollicitudine curam gerat, ſciens ſine dubio, quia pro his omnibus in diem Iudicij rationem redditurus eſt.

C. Omnia vaſa Monaſterij, cunctamque ſubſtantiam, ac ſi Altaris vaſa ſacrata conſpiciat. Nihil ducat neglegendum: neque auaritiæ ſtudeat: neque prodigus ſit, & extirpator ſubſtantiæ Monaſterij: Sed omnia menſurate faciat, & ſecundum iuſſionem Abbatis ſui. Humilitatem ante omnia habeat, & cui ſubſtantia non eſt, quæ tribuatur, ſermo reſponſionis porrigatur bonus; quia ſcriptum eſt: Sermo
Eccleſ. 18.
bonus ſuper datum optimum. Omnia, quæ ei iniunxerit Abbas, ipſe habeat ſub cura ſua; à quibus eum prohibuerit non præſumat. Fratribus conſtitu-

tam

tam annonam ſine aliquo typo, vel mora offerat; vt non ſcandalizentur: memor Diuini eloquij, quid mereatur, qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis: expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Si Congregatio maior fuerit, ſolacia ei dentur, à quibus adiutus, & ipſe æquo animo impleat Officium ſibi commiſſum. Horis competentibus dentur, quæ danda ſunt, & petantur, quæ petenda ſunt, vt nemo perturbetur, neque contriſtetur in Domo Dei. *Matth.* 18

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

CI. CEllararius] Alij *Cellerarius*. Cellarium neutro genere locus eſt ad reponenda victualia. Gregor. 2. dial. cap. 28. *Monachus, qui Cellariū tenebat*. Cellarius verò, ſeù Cellararius, Cellæ, & Cellarij Prefectus. Cellararij meminerūt præter noſtros, multi alij auctores. *Nec putandū*, inquit Voſſius, *vbique iſtis in locis pro Cellararius, Cellarius reſcribi oportere. Nam, vt à Cella eſt Cel-*

 larius:

larius ; ità à Cellariumfecere Cellararius, prò quo & ſcripſere Cellerarius.

Aliud tamen eſt Cellararius à *Cellulano*. Hoc enim nomine ſignatur Cœnobita, vel Eremita, Cellulæ incluſus. Sidon. Apollin. lib. 9. Epiſt. 3. *De Paleſtra Congregationis eremitidis, & de Senatu Lirinenſium Cellulanorum.*

Memor ſemper illud Apoſtolicum] Pro quarto caſu in impreſſis eſt ſecundus. Sed textus poſuit nomen pro Participio. Vide Notas ad caput quartum.

In diem Iudicij] Alij, *In die*.

Annonam] Codex Ioannis in expoſitione, *Annona*, inquit, *ideò dicta eſt, quia mos fuit apud veteres, vt ad horã nonam comederent; & indè tractum eſt Annona, ideſt, Ad Nonam. Nunc verò dicitur omnis ſiuè cibus, ſiuè potus, quæ ad victum attinent.* Eadem habent Smaragdus, Petrus Diac. Riccardus, & alij. Sed Grammatici Annonam ducunt ab Anno, eiuſq; nomine intelligi volunt res omnes, quæ ad annuum victum reponuntur. In textu ſumitur prò ea victus portione, quæ ſingulis diebus Monacho aſſignatur, & non caret exemplis aliorum auctorum. Reperitur etiam Annonari, prò, Annonam percipere. Chron. Camerac. lib. 3. cap. 52. *Reditibus agrorum annonantur*.

Ipſe habeat] *Ipſa habeat*, legit vetuſtior Codex.

CII. *Sine aliquo typo*] *Sine typo*, ideſt, ſine tumore interpretantur noſtri. At Perez, typum ex Græco, ait, ſignificare interuallum; & ideò *ſine typo*, ideſt, ſine interuallo, nempè ſtatutis horis.

Sed

Sed cum textus ſubnectat, *ſine typo, vel mora*, videtur diuerſum quid eſſe typum à mora. Smaragdus, *Typum* intelligit figuram. Vndè *ſine typo*, ideſt, ſine aliqua indecenti figura geſtus, vel incongrua forma verborum. Sic etiam Bernard. Caramuel verò omnes expoſitiones reijciendas ducit, aitque *Typum* hic non poſſe aliud ſignificare, quàm excuſationem. Vide illum in Nomenclatore. Hæſtenus obſeruat, *Typum* ſcribi debere cum aſpiratione, *Typhum*, quod ſignificat, Superbiam, Addit tamen, *Typhum* apud veteres nō rarò ſcriptum reperiri ſine aſpiratione, & ità videtur vſurpatum à noſtris expoſitoribus Caſinēſibus: ferè omnes enim accipiunt *Typum*, prò Tumore, & inflatione mentis, & verborum: ac proinde nomine *Typi*, intelligunt *Typhum*.

Solacia] *Coadiutores*, vt litera explicat.

De Ferramentis, vel rebus Monaſterij.

CAP. XXXII.

CIII. SVbſtantia Monaſterij in ferramētis, vel rebus; ſeu quibuslibet rebus prouideat Abbas Fratres, de quorum vita, & moribus ſecurus ſit; & eis ſingula, vt vtile iudicauerit, conſignet cuſtodienda, atque recolli-

colligenda. Ex quibus Abbas Breuem teneat: vt dum ſibi in ipſa aſſignata Fratres vicibus ſuccedunt, ſciat quid dat, & quid recipit. Si quis autem ſordide, aut neglegenter res Monaſterij tractauerit, corripiatur. Si non emendauerit, diſciplinæ Regulari ſubiaceat.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

CIV. SVbſtantia Monaſterij] Conſonant omnes noſtræ membranæ in legendo, *Subſtantia.* Cæteri emendarunt, *Subſtantiæ*. Sed quamuis noſtri expoſitores defectum in hac litera aduertiſſent, emendare tamen neutiquã auſi ſunt: neque nos emendauimus: non enim criticum agere in textum nobis propoſitum eſt; ſed textum, prout in Codicibus Caſinenſibus iacet, fideliſſimè depromere. An autèm textus noſter ſit legitimus, aliorum iudicio relinquimus. Certè, cum S. Patris æuo, & ſequentibus, Italia Barbarorum irruptionibus penè barbara euaſiſſet, facilè concedi poſſet, barbaries aliquas Amanuenſium incuria in Regulæ textum inuectas fuiſſe. Sed concors, & conſtans vetuſtiſſimorum Codicum lectio coniecturam non leuem facit, aut ab Auctore ſic ab initio ſcriptum, aut ex primis exemplaribus defluxiſſe; maximè cum per ea tempo-

ra

ra extaret adhuc textus Regulæ, propria S.Patris manu exaratus. Hæc dicta ſint generaliter. Cæterùm quantum ad præſens verbum, *Subſtantia*, audiamus Bernardum. *Litera benè conſideranti eſt defectiua. Vndè ſic ſupplendum eſt. Subſtantia Monaſterij, ſi conſiſtat in ferramentis, vel rebus, &c. & tùnc erit litera plana. Nec mireris, ſi B. Benedictus aliquid dimiſit ſupplendum in constructione. Suffecit enim ſibi plenè dicere ſenſum. Qui mos ſeruatur frequenter in Sacra Scriptura. Poteſt etiam eſſe, quòd Scriptores errauere, omittentes neceſſarium verbum, quod oportet ſuppleri*. Hæc Bernardus.

CV. Ego verò ab hac difficultate leui negotio me expedio ex aliàs notatis. Siquidē S. Pater ſexto caſu interdum vtitur ſine præpoſitione, *In*. Ità cap.8. *Sic temperetur hora vigiliarū Agenda*, nempè *in Agenda* cap. 13. *Cæteris vero agēdis*, ideſt, *in cæteris*, & alibi. *Subſtantia* igitur hîc ſtat prò *In ſubſtantia*. Et forte vitauit præpoſitionem, ne bis eam ſtatim repeteret. Et ad eundem ſenſum intellige illud *Quibuslibet rebus*; niſi velis, nomen *Subſtantia* poſitum fuiſſe in ablatiuo abſoluto; nempe *circa ſubſtantiam*, aut *quantum ad ſubſtantiam*.

CVI. *In ferramentis, vel rebus, ſeù quibuslibet rebus*. Ità omnes noſtri. Externi verò legunt, *In ferramentis, vel veſtibus, ſeù quibuslibet rebus*, ſuſtituentes *Veſtibus*, prò *Rebus*, ad vitandam duplicationem eiuſdem verbi *Rebus*.

Seù] Hæc particula hîc non eſt explicatiua, nec diſiunctiua, ſed copulatiua, & diſtinctiua, & valet, *Pariter, & ſimiliter*, vt ex dictis.

Bre-

Breuem] Ideſt, Inuentarium, Regiſtrum, Notam, Commemoratorium, Indicem. Alij legunt *Breue*. Sed in maſculino genere reperitur etiam in Synodo Sueſſion. Anno 853. act. 7. can. 1. *Et theſaurum, ac veſtimenta, ſeu libros diligenter imbreuient, & Breues nobis reportent*.

Si quid debeant Monachi proprium habere.

CAP. XXXIII.

CVII. PRæcipue hoc vitium peculiare radicitus amputandum eſt de Monaſterio: Ne quis præſumat aliquid dare, aut accipere ſine iuſſione Abbatis: neque aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neq; graphium; ſed nihil omnino: quippe quibus nec corpora ſua, nec volũtates licet habere in propria poteſtate. Omnia vero neceſſaria à Patre ſperare Monaſterij; nec quicquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiſerit. Omniaque omnibus ſint cõmu-

munia, vt ſcriptum eſt: Nec quiſquam ſuũ aliquid dicat, vel præſumat. Quod ſi quiſquam hoc nequiſſimo vitio deprehenſus fuerit delectari, ammonitus ſemel & iterum, ſi non emendauerit, correptioni ſubiaceat.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

CVIII. P*Ræcipuè hoc vitium peculiare*] Vulgati expungunt illud, *Peculiare*, quaſi ſuperfluum. Cum enim dixiſſet, *Præcipuè*, viſum eſt redundare illud, *Peculiare*, quaſi diceret, *Peculiariter*. Sed aptiſſimè legitur in omnibus noſtris. *Peculiare* enim, prout hic ponitur, deductum eſt à *Peculio*, quod eſt puſilla pecunia, ſeù proprietas alicuius de familia extra communem familiæ ſubſtantiam. Hinc apud Iuriſtas Peculium Caſtrenſe, vel quaſi Caſtrenſe in filijs familias, & ſeruis. ff. de Peculio per totum. Pecunia verò dicta eſt à Pecude. Antiqui enim vniuerſam ſubſtantiam in pecoribus poſſidebant. Hoc igitur vitium peculiare, ideſt poſſidendi Peculium, præcipuè amputandum præcipit Legislator. Quod infra cap. 55. vocatur iterum *vitium peculiare*, & *opus peculiare*, & ab alijs Patribus *Peculiaritas*. Plautus vſus eſt etiam verbo *Peculiandi* in Perſa. act. 2. ſc. 2. *Ob iſtam rem ego te aliquid peculiabo*.

Amputandum eſt] *Amputetur*, Pariſ. & aliæ editiones.

Nec quiſquam ſuum aliquid dicat] *Suum eſſe dicat*, communiter. Sed melior noſtra Lectio, non ſolum enim prohibetur; nè quis aliquid ſuum eſſe affirmet; ſed nè quis ſuum aliquid nominet.

Hoc nequiſsimo vitio] *Huic*, legunt multi ex Caſinenſibus.

Ammonitus] *Admoneatur*, Pariſ. & cæteri Moderni.

Correptioni] Aliqui etiã ex noſtris, *Correctioni*.

Si omnes æqualiter debeant neceſſaria accipere.

CAP. XXXIV.

Act. 4. CIX. SIcut ſcriptum eſt: Diuidebatur ſingulis, prout cuique opus erat. Vbi non dicimus, vt perſonarum (quod abſit) acceptio ſit, ſed infirmitatum cõſideratio. Vbi, qui minus indiget, agat Deo gratias, & non cõtriſtetur: Qui vero plus indiget, humilietur pro infirmitate, & non extollatur pro miſericordia; & ita omnia membra erunt in pace. Ante omnia

ne

nè murmurationis malum pro qualicumque cauſa in aliquo qualicumque verbo, vel ſignificatione appareat. Quod ſi deprehenſus fuerit, diſtrictiori diſciplinæ ſubdatur.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

D*eprehenſus fuerit*] Addunt alij, *Quis*, ſed non extat in noſtris.

De Septimanarijs Coquinæ.

CAP. XXXV.

CX. FRatres ſibi inuicem ſeruiant, vt nullus excuſetur à Coquinæ officio: niſi aut ægritudine, aut in cauſa grauis vtilitatis quis occupatus fuerit: quia exinde maior merces, & caritas acquiritur. Imbecillibus autem procurentur ſolacia, vt non cum triſtitia hoc faciant: ſed habeant omnes ſolacia ſecundum modum Con-

gregationis, aut poſitionem loci. Si maior fuerit Congregatio, Cellararius excuſetur à Coquina; vel ſi qui (vt diximus) maioribus vtilitatibus occupantur. Cæteri ſibi ſub caritate inuicē ſeruiāt Egreſſurus de Septimana, Sabbato munditias faciat. Lintea, cum quibus ſibi Fratres manus, aut pedes tergunt, lauet. Pedes verò tàm ipſe, qui egreditur, quàm ille, qui intraturus eſt, omnibus lauent. Vaſa miniſterij ſui munda, & ſana Cellarario reconſignet. Qui Cellararius item intranti conſignet, vt ſciat quid dat, aut quid recipit.

Septimanarij autem ante vnam horam refectionis accipiant ſuper ſtatutam annonam ſingulas biberes, & panem: vt hora refectionis ſine murmuratione, & graui labore ſeruiant Fratribus ſuis. In diebus tamen ſolemnibus vſque ad Miſſas ſubſtineant. Intrantes autem, & exeuntes Hebdomadarij

darij in Oratorio, mox matutinis finitis, Dominica omnium genibus prouoluantur, poſtulantes pro ſe orari. Egrediens autem de Septimana dicat hunc verſum: Benedictus es Domine Deus, qui adiuuiſti me, & conſolatus es me. Quo dicto tertiò, accepta Benedictione egrediēs, ſubſequatur ingrediens, & dicat: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina. Et hoc idem tertio repetatur ab omnibus, & accepta Benedictione ingrediatur.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

F*Ratres ſibi inuicem*] *Fratres ſic ſibi inuicem*, legunt multi.

Merces, & Caritas] Deeſt *Charitas* in aliquibus vulgatis. Benè Codex Abbatis Ioannis. *Merces attinet ad remunerationem. Charitas ad concordiam.*

Septimana] Pro Hebdomada ſæpius legas in auctoribus non reijciendæ latinitatis. In Cod. Theodoſ. l. Dominico de ſpectacul. Ruffin., Vterque Scaliger apud Voſſ.

Lan-

Lintea] Alij *Linteamina*.

Miniſterij ſui] Perperam quidam, *Monaſterij ſui*.

CXI. *Singulas biberes, & panem*] In fœminino. Quod hic dicit, *Singulas biberes, & panem*, infra vocat *Mixtum*. Eſt autem Mixtum vnus vini cyathus, & panis parum. Codex Ioannis in expoſitione refert, fuiſſe quartam partem libræ, penſantem quinque ſolidos. Petrus etiam Diaconus ad hunc locum teſtatur, prout in antiquis libris Caſinenſis Cœnobij deſcriptum inuenerat, eſſe quartam partem libræ panis. Patres Caſinenſis Congregationis duas vncias. Tradunt etiam noſtri, *Biberes* pro mixto fuiſſe vaſcula, ad hoc inſtituta; adeo omnia in pondere, & menſura faciebant. Vnde inter alia, quæ Theodemar Abbas Caſinenſis miſit Carolo Magno ad inſtructionē Monachorum illius Prouinciæ, fuit pondus libræ panis, & menſura vini; necnon & menſura calicis, quam in mixto ſeruitores (Coquinæ, & menſæ) accipere debent ex Regula. Ex Epiſt. Theodem. ad Carolum, & ex Chronic. Caſinen. lib. 1. *Biberem* pro vini Scypho legas apud Euerhelmū in vita S. Popponis Abbatis. *Diſcedens inde charitatis veſtigia ſuis reliquit, ſinguliſque per tricenos dies ſingulos dari biberes præcepit*. Voſſ.

Domine Deus] Alij legunt *Dominus Deus* Verſiculus hic ſumptus eſt ex Pſalmis 83. & 118.

Accepta Benedictione] Vulgati, *Accipiat Benedictionem*, Congregatio noſtra Caſinenſis vtitur ſpecialibus orationibus in benedictione ſeruitorum Coquinæ, & menſæ ex antiquiſſimo ritu.

De

De Infirmis Fratribus.

CAP. XXXVI.

CXII INfirmorum cura ante omnia, & ſuper omnia adhibẽda eſt: vt ſicut reuera Chriſto, ita eis ſeruiatur; quia ipſe dixit: Infirmus fui, & viſitaſtis me: Et, quod feciſtis vni de his minimis, mihi feciſtis. Sed & ipſi Infirmi conſiderent in honorem Dei ſibi ſeruiri, & non ſuperfluitate ſua cõtriſtent Fratres ſuos, ſeruiẽtes ſibi: Qui tamen patienter portandi ſunt, quia de talibus copioſior merces acquiritur. Ergo cura maxima ſit Abbati, ne aliquam neglegentiam patiantur. Quibus Fratribus infirmis ſit Cella ſuper ſe deputata, & ſeruitor timens Deum, & diligens, ac ſollicitus. *Matth. 5.*

Balnearum vſus infirmis, quotiens expedit, offeratur. Sanis autem, & maxime iuuenibus, tardius concedatur.

Sed

Sed & carnium eſus infirmis, & omnino debilibus pro reparatione concedatur. At vbi meliorati fuerint, à carnibus more ſolito omnes abſtineant. Curam autem maximam habeat Abbas; ne à Cellararijs, aut à ſeruitoribus neglegantur Infirmi: quia ad ipsũ reſpicit quicquid à Diſcipulis delinquitur.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

CXIII. Q*Via ipſe dixit*] *Dicturus eſt* ſubſtituunt Moderni.

Vni de his minimis] Communiter editi *Vni ex minimis meis*.

Seruitor] Ideſt Miniſter, qui & Monachus ſit. Item cap. 38.

Cella ſuper ſe deputata] Ideſt ſeorſim, & ſpecialiter deputata. Italicè, *da per sè*. Vocatur autem hæc Cella *Inſirmaria*; ſed propriùs *Firmarium*, vel *Fermarium*, à *Firma*, ideſt cibo. Erat enim propriè *Firmarium* Xenodochium, & hoſpitale in Monaſterijs, & alibi, quò pauperes hoſpitio excipiebant, & *Firma*, hoc eſt cibo fouebant.

Balnearum] In fœminino habent omnes membranæ Caſinenſes. Sic etiam Capitula Aquiſ-

grani.

grani. Differentiam verò inter *Balneas*, & *Balnĕū* explicant eruditi,quòd *Balneæ* publicæ ſint, *Balneum* priuatæ domus: licet aliquando confundãtur. Quapropter, licet textus loquatur in fœminino: probabile tamen eſt, intelligere de Balneo domeſtico. Extruebantur enim illis ſeculis Balnea in Monaſterijs,vt conſtat ex noſtris expoſitoribus,& ex Chron. Caſin.lib.4.cap.3.Non adhuc abrogato antiquorum vſu ſæpè lauandi:qui apud Romanos adeò viguit,vt Commodus Imperator ſeptiès,& octiès per diem lauiſſe legatur. Balneæ verò publicæ, ſeù Thermæ(à Thermon quod Græcis eſt Calidum) cuius magnitudinis fuerint Romæ, ipſæ ruinæ docent. Vnde Ammianus *Lauacra in vrbe,* inquit, *in modum Prouinciarum extructa*. Et hæc propriè erant antiquorum Gymnaſia,nempe ædificia,gymnicis, ideſt nudis exercitationibus deſtinata. Poſtquam enim nudi ſe ibi exercuiſſent diſco,curſu, paleſtra; lauabant in proximis balneis. Procedente vero tẽpore Gymnaſium pro ludo literario ſumi cœpit, vbi in addiſcendis diſciplinis exercemur. Cuius quidem acceptionis eruditam tradit cauſam Petrus Laſcena in ſua diſſertatione Italica de Gymnaſio Neapolitano, ex Cicerone, & Mercuriali. Cum enim ad Gymnaſia pro Gymnicis ludis frequens populus conueniret, conueniebant etiam illuc Philoſophi, & Rhetores, qua occaſione cœptum eſt ibi philoſophari,& diſputari. Vnde poſtea Diſciplinarum Scholæ appellatæ ſunt Gymnaſia. Quæ ſint obiter dicta.

Balneum in Monaſterio admittunt noſtri: ſed

in quo vnus tantum lauetur ob honeſtatem. Nã, ſi, vt ait Ambroſius Epiſt. 30. lib. 4. *Ipſi nos conſpicere nudos reueremur, quanto magis, vt ab alijs videamur?* Capitula Aquiſgran cap. 7. *Vt Balneარum vſus in arbitrio Prioris conſiſtat.*

De Senibus, vel Infantibus.

CAP. XXXVII.

CXIV. LIcet ipſa natura humana trahatur ad miſericordiã in his ætatibus, Senum videlicet & Infantum: tamen & Regulæ auctoritas eis proſpiciat. Conſideretur ſemper in eis imbecillitas, & nullatenus eis diſtrictio Regulæ teneatur in alimentis: ſed ſit in eis pia conſideratio, & præueniant horas Canonicas.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

CXV. I*Nfantum*] Infantia hic non ſumitur rigorosè nempe vſque ad ſeptemnium: ſed vſque ad decimumquartum annum, ex noſtris expoſitoribus, & fundamentum habet in iure

re

re Canonico. Moris autem erat apud antiquos, Monachos non ſolum adoleſcentes,& prouectos ætate; ſed pueros etiam, & infantes in Monaſterijs recipere, diſciplinis,& virtutibus imbuendos. Quod fecit S. Pachomius alijque Patres. Tales ex noſtris fuerunt Maurus, Placidus, Fauſtus, Gordianus, Beda, Bonifacius, Thomas Aquin. alijque innumeri, qui in viros clariſſimos euaſerunt.

De Hebdomadario Lectore.

CAP. XXXVIII.

CXVI. MEnſis Fratrum edētium Lectio deeſſe nō debet: ne fortuito caſu, qui arripuerit Codicem audeat legere ibi: Sed lecturus tota hebdomada, Dominica ingrediatur. Qui ingrediens poſt Miſſas, & Cōmunionem, petat ab omnibus pro ſe orari, vt auertat ab ipſo Deus ſpiritum elationis. Et dicatur hic verſus in Oratorio tertio ab omnibus; ipſo tamen incipiente: Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit lau-

dem tuam. Et ſic, accepta benedictione, ingrediatur ad legendum. Et ſummum fiat ſilentium, vt nullius muſſitatio, vel vox, niſi ſolius legentis, ibi audiatur. Quæ vero neceſſaria ſunt comedentibus, & bibentibus, ſic ſibi viciſſim miniſtrent Fratres, vt nullns indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit, ſonitu cuiuſcumque ſigni potius petatur, quam voce. Nec præſumat ibi aliquis de ipſa Lectione, aut aliunde quicquam requirere, ne detur occaſio; niſi forte Prior pro ædificatione voluerit aliquid breuiter dicere. Frater autem Lector Hebdomadarius accipiat mixtum priuſquam incipiat legere, propter Communionem ſanctam, & ne forte graue ſit ei ieiunium ſuſtinere. Poſtea autem cum Coquinæ Hebdomadarijs, & ſeruitoribus reficiat. Fratres autem non per ordinem legant, aut cantent; ſed qui ædificent audientes.

VA-

Digitized by Google

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

M*Enſis Fratrum edentium Lectio deeſſe non debet*] Quòd reficientibus Fratribus Sacræ Lectiones in Refectorio legerentur, in Cappadocia primum à Monachis cœptum eſt obſeruari, teſte Caſſiano Inſtitut.lib.4.cap.17.

Ne fortuito caſu] Moderni habent *Nec*.

CXVII. *Poſt Miſſas*] In plurali. Neque tamen intelligendum, Poſt Miſſas priuatas: ſed poſt Miſſam Conuentualem, in qua fiebat Communio, & quæ plurali etiam nomine venit. Pro quò notandum, Miſſæ nomen non eſſe Græcum, vel Hebraicum, vt quidam volunt, ſed Latinum; & ſignificare Miſſionem, Dimiſſionem, Finitionem, & Complementum. Duæ autem in Sacrificio Chriſtiano olim ſiebant Miſſiones. Vna poſt Euangelium, & poſt Orationes, quæ dicebãtur ſuper Catechumenos. Illis enim recitatis, Diaconus ſuper Pulpitum dicebat Catechumenis adſtantibus, Ite Miſſa eſt, ſeù Ite Catechumeni in pace. Aug. ſer. 137.de tempore. *Ecce inquit poſt Sermonẽ ſit Miſſa Catechumenis, manebunt fideles*. Conſtitut. Apoſtol. lib.8.c.7. *Poſt hæc dicat Diaconus, Ite Catechumeni in pace*. Et in Liturgia Baſilij, & Chriſoſt. *Quotquot Catechumeni eſtis, diſcedite*. Imo Eccleſia Græca Catechumenos etiam à ſecretioribus Veſperarũ, & Laudum Orationibus ablegabat. Rituale Græcorum Iacobi Goar. Dimittebantur autem tunc

Ca-

Catechumeni, quia illis Sacrifico Euchariſtico intereſſe non licebat. Vnde D. Gregor. in vita S.P. Benedicti cap. 23. *Cumque ex more Diaconus clamaret, Si quis non communicat, det locum.* Quin etiam ab initio hoc Myſterium ipſis penitus occultabatur, donec baptizati eſſent: & ſi forte alicui Catechumeno innotuiſſet, ſtatim baptizabatur. Ad quod reſpiciens Auguſt. tract. 11. in Ioan. ſic ait de Catechumenis. *Ipſi iam credunt in nomine Chriſti: ſed Ieſus non ſe credit eis. Si enim dixerimus Catechumeno, Credis in Chriſtum? Reſpondet, Credo, & ſignat ſe cruce Chriſti. Interrogemus eum: Manducas carnem filij hominis, & bibis ſanguinem filij hominis? Neſcit, quid dicimus, quia Ieſus non ſe credit ei.* Hæc Auguſtin.

Dimittebantur itaque Catechumeni, cum incipiebat Sacrificium, ſeu Miſſa Fidelium: tota enim antecedens Miſſæ pars erat ad inſtructionē, & ideo alta voce, præſertim pro Catechumenis, legebatur. Hinc Concil. Carth. 4. can. 84. *Epiſcopus nullum prohibeat vſque ad Miſſam Catechumenorum, neque Hæreticum, neque Iudæum, neque Gentilem Eccleſiam ingredi, & audire verbum Dei* vbi, *vſque ad Miſſam*, ideſt *vſque ad Dimiſſionem*.

Completo deinde, toto Sacrificio, & communione, dimittebantur à Diacono fideles baptizati, iterum dicendo, *Ite Miſſa eſt:* quaſi diceret, Ite in pace: nam miſſa, ſeù finita eſt oblatio.

CXVIII. Qui ſacer Chriſtianæ Religionis ritus originem traxiſſe videtur ex prophanis Gētilium ſuperſtitionibus; qui, peracto Sacrificio, dimittebant populum dicendo, *Ilicet* per ſincopen;

nem-

nempè *Ire licet*, vt refert Plutarchus, & Seruius 6. Æneid. ibi. *Procul eſte prophani, conclamat Vates.* Eodem verbo dimittebantur Iudices de Conſilio, teſte Donato in Phorm. Terentij act. 1. ſc. vltim. & ibi Guido Iuuenalis. Hinc Lambinus in illud Plauti in Capt. act. 1. ſc. 6. *Ilicet Paraſiticæ arti*, ſic ſcribit. *Ilicet, ideſt, Abeat ars Paraſitica. Ilicet vox, quam vſurpabat preco, cum de Conſilio Iudices, vel de Concilio Populus dimittebatur; re ſcilicet tranſacta, ac terminata. Itaque finem rei ſignificat.* Ità Lambinus. Græci etiã dicebant *Populis miſsio.* ex Beroaldo in Aſinum Apuleij, & Stefan. Durant. de ritibus Eccleſiæ Cathol. lib. 2. cap. 1.

CXIX. Quia igitur in Sacrificio Chriſtiano bis olim dabatur miſſio. Primo Catechumenis. Secundo toti Populo; idcirco Miſſarum in plurali nomen obtinuit. Nunc autem, abrogato Catechumenorum ritu in Eccleſia, licet omiſſa prima Miſſione, & retenta ſolum ſecunda, adhuc tamen Miſſas in plurali appellare ſolemus. Vnde dicimus Concionem, vel Ordinationes habitas fuiſſe inter Miſſarum ſolemnia. Sic etiam Alex. Papa nominat *Miſſarum ſolemnia*. Siluerius *Auditis Miſſarum ſolemnijs*.

CXX. Neque mirum, aut indecorum videri debet, Eccleſiam Catholicam mutuaſſe ab Ethnicis aliquas Cœremonias. Non enim res ipſa; ſed intentio, & obiectum bonas, vel malas, religioſas, vel ſuperſtitioſas reddit cœremonias. Ritus igitur, & cœremoniæ (exceptis ijs, qui apertè honeſtis moribus contradicunt, aut ſuperſtitionem in ipſo actu inuoluunt) commune quid, & indiffe-

rens

Digitized by Google

rens ſunt. Bonitatem vero, vel malitiam induunt, pro varietate finis, & intentionis. Si enim Idolis exhibeantur, ſuperſtitio ſunt, & execrandæ. Si autem ad veri Numinis cultum ordinentur, actus Religionis ſunt, & amplectendæ. Vide Hieron. contra Vigilant. cap. 3. & Auguſtinum de vnico Baptiſmo cõtra Petilianum cap. 4. vbi ait, *De ipſis Gentilibus idolorum cultoribus nihil aliud nobis demonſtrat Apoſtolus; niſi, vt in ijs quoque, quod prauum eſt, corrigamus; & quod fortè rectum eſt, approbemus*. Vide etiam Origenem in Exod. cap. 17. hom. 11. ad illud Apoſtoli: *Omnia probate: Quod bonum eſt, tenete*.

Et ſummum fiat ſilentium] *Summumque* Pariſ. Ægyptios Monachos tanta diſtrictione ſilentium cuſtodiſſe referunt quidam; vt clauſis oculis manducarent.

Sonitu cuiuſcumque ſigni potiùs petatur, quàm voce] In hoc Sacro Monaſterio Caſinenſi olim erãt in vſu ſigna quædam pro ſingulis rebus, in menſa petendis, ne ſilentium violaretur. Chron. Caſ.

CXXI. *Mixtum*] Idẽ quod ſupra appellauerat *Singulas biberes, & panẽ* cap. 35. Mixtũ vocatur, fortaſſe, quia panis fruſtulum cum vino miſcebatur pro ientaculo. Vnde S. Hildegardis Mixtum intelligit panem potui intinctum. Italicè *Zuppa*. Codex Abbatis Ioannis in Commentario. *Illius Terra conſuetudo fuit, vnde nos dicimus Mordere, Mixtum vocare* Hiſpanus diceret *Almorzar*.

CXXII. *Propter Communionem ſanctam*] Cũ enim Monachi paulo ante in Miſſa communicaſſent, prouide monuit S. Pater, vt Lector Menſæ

ſume-

ſumeret Mixtum antequam inciperet legere: nè ſcilicet, legendo, aliquid ex Sacroſanctis ſpeciebus, excreando, proijceret in ſputo. Idipſum monuit ſuos Chriſoſtomus apud Sozomenum lib. 8. cap. 17. *Monere ille conſueuerat; vt poſt Communionem, aut aquam, aut paſtillum deguſtarent: ne contra voluntatem vna cum ſaliua, ſiuè pituita, quicquam ſacrum excrearent*. Et apud Æthiopes poſt Communionem Diaconus dabat populo Lac, & Mel dicens: *Lac, & Mel immaculatum in generationes, Amen.* Caſal. de veteribus ritibus Chriſtianorũ cap. 14. Quæ conſuetudo perſeuerat adhuc apud Eccleſiam Romanam; vt fidelibus, poſt ſumptam Euchariſtiam, ſorbendum porrigatur aquæ parum ad purificandum. Hoc verò magis neceſſarium videbatur ſeculo S. Patris. Tunc enim fideles communicabant ſub vtraque ſpecie, ſumentes, vel hoſtiàm ſanguine intinctam, quod aliquando factum teſtatur Georgius Caſſander in Liturgicis; vel ſanguinem ex Calice per fiſtulam auream, vel argenteam, quarum vna ſeruatur adhuc in Sacrario huius Monaſterij; de qua meminit idem Caſalius cap. 81. Potùs autem ſanguinis ſub vini ſpeciebus facilè excitat ſputum. Proinde decentiſſimè à S. Legislatore præſcripta fuit Lectori ſumptio Mixti: præſertim, cum legat alta voce, quæ excreare facit. Quamobrem Plinius Nepos, ſe mane alta voce legere conſueuiſſe teſtatur; non tantum propter eruditionem, ſed propter ſtomachum.

CXXIII. Ex hoc eodem loco colligitur, Monachos per ea tempora diebus ſaltem Domini-

cis ſumere conſueuiſſe Sacram Communionem. Dixi *ſaltem:* Nam Perez, & alij hinc arguunt etiã quotidianam. Riccardus noſter, *Secundum, quod audiui* (inquit) *antiqui Monachi quolibet die recipiebant Corpus Chriſti, quod hodiè ſublatum eſt.*

Seruitoribus] Ideſt *Miniſtris*. Reperitur hoc vocabulum in Capitulis Ludouici, ſeù Aquiſgrani cap. 28. *Vt ſeruitores non ad vnam menſam; ſed in proprijs locis poſt refectionem Fratrum reficiantur*. Et eſt frequens apud noſtros expoſitores.

De Menſura Ciborum.

CAP. XXXIX.

CXXIV. SVfficere credimus ad refectionem cotidianam tam Sextæ, quam Nonæ, omnibus mẽſibus, cocta duo plumentaria propter diuerſorum infirmitates: vt forte qui ex vno non potuerit edere, ex alio reficiatur. Ergo duo pulmentaria cocta Fratribus omnibus ſufficiãt. Et ſi fuerit, vnde poma, aut naſcentia leguminum, addatur & tertium. Panis libra

vna

vna propenſa ſufficiat in die, ſiue vna ſit refectio, ſiue prãdij, & cœnæ. Quod ſi cœnaturi ſunt, de eadem libra tertia pars à Cellarario ſeruetur, reddenda cœnaturis. Quod ſi labor forte factus fuerit maior, in arbitrio, & poteſtate Abbatis erit, ſi expediat aliquid augere, remota præ omnibus crapula, & vt nũquam ſubripiat Monacho indigeries. Quia nihil ſic contrarium eſt omni Chriſtiano, quomodo crapula, ſicut ait Dominus noſter: Videte ne grauentur corda veſtra in crapula. Pueris vero minori ætate non eadem ſeruetur quantitas, ſed minor, quã maioribus, ſeruata in omnibus parcitate. Carnium vero quadrupedum omni modo, ab omnibus abſtineatur comeſtio; præter omnino debiles, & ægrotos. *Luc. 21.*

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

CXXV. O*Mnibus menſibus*] Aliqui legunt *Menſis*, Bernardus, *Melius puto dictum Menſibus. Si enim dicatur, Menſis, oportet ſuppleri Prandij. Non enim tot fercula ſunt in cœna dãda*. Sic Bernardus. Quæ ratio conuincit Lectionem noſtram eſſe legitimam.

CXXVI. *Duo pulmentaria cocta*] Pulmentarium à Pulte. Vide Calepinum. Hìc intelligitur omne opſonium, quod cum pane manducatur, ſiuè coctum ſit, ſiuè crudum: vt omnes exponũt. Regula tamen vult, Monacho dari ad refectionẽ duo pulmentaria cocta. Tertium enim, quod permittit, debet eſſe crudum. Quod tertium tunc tãtum ſimul cum duobus dari debet, cum Conuentus comedit ſemel in die. Quando vero bis comedit, hòc tertium crudum reſeruari debet pro cœna, vt exponunt omnes noſtri. Sic Bernard. Audiamus nihilominus circa hoc Theodemarũ Carolo Magno ſcribentem. *Beatus Pater noſter inſtituit duo cocta pulmentaria in quotidiana refectione Fratribus præparari, & tertium de leguminibus aqua infuſis. Nos verò ex inſtitutione maiorum noſtrorum tria cocta pulmentaria alijs diebus; Quarta, & Sexta Feria duo tantum reficiendis Fratribus præparamus, excepto quod plures ex Fratribus noſtris pane tantum his diebus, herbiſque hortenſibus veſcãtur. Quorum plerique etiam nec vinum bibunt. Die*

verò Dominico, & in Feſtiuitatibus præcipuis etiam quartum addimus pulmentum; exceptis Secunda, Quarta, & Sexta Feria. Hæc de Caſinenſi ritu Theodemar, ſiuè Paulus Diaconus, qui Epiſtolã nomine Theodemari ſcripſit; & ideo eadem Epiſtola nomine Pauli aliquando citatur. In Congregatione noſtra Caſinenſi hodie in vſu eſt, duo cocta pulmentaria ad prandium, totidemque ad cœnam dari diebus omnibus, præter ieiunia, in quibus additur aliud. In hoc autem Sacro Cœnobio ſemper dantur tria cocta. Et ſi fuerit dies ieiunij, vel ſolemnis, quatuor, & quinque, præter cruda.

Fratribus omnibus] Deeſt, *Omnibus*, in editione Pariſ. & alijs.

Et ſi fuerit, vnde poma] Vulgata Lectio eſt, *Et ſi fuerint inde poma.* Sed proba noſtra. Hinc Theodemar. *Si eſt vnde poma*, ideſt, Si eſt vnde haberi poſſint poma. Capitula Aquisgrani. cap. 78. *Vt volatilia in Natali Domini, & in Paſcha tantum octo diebus, Si eſt vnde, comedant: Si vero non fuerit vnde, non requiratur.* Nomine Pomorum intellige omnes fructus, qui ex arboribus proueniunt, Ficus, Pira, Mala, Pepones, &c. ſic noſtri.

CXXVII. *Naſcentia Leguminum*] Nimirum Legumina, quæ incipiunt germinare, *quia mos eſt illius Terræ, videlicet Romanæ* (inquit Codex Ioãnis) *& aliarum Prouinciarum, mittere legumina in aquam; & cum germinata fuerint, tunc manducari.* Quibus conſonat Bernardus: *Legumina germinãtia, quando videlicet ponuntur in aqua, & quaſi tenera efficiuntur, ſicut illa, quæ incipiunt germinare, &*

come-

comeduntur in partibus Romanis, vel ſic germinantia ſimpliciter, vel etiam cum aceto. Sic Bernar.& sũpſerunt ex Theodemaro ibi. *Tertium de leguminibus crudis, aqua infuſis*. In vita S. Gregorij legimus, S. Siluiam eius matrem mittere conſueuiſſe legumina infuſa filio Monacho. Non videtur tamen contra textum per *naſcentia Leguminum* intelligere ipſa legumina herbeſcentia, vel herbas virentes. Quia tamen hæc nec ſemper, nec vbiq; haberi poſſunt; vſu veniſſe reor, vt leguminum ſemina artificiosè in teneritudinem per aquam reuocarentur: quæ conſuetudo deinde iugiter manſerit, vt vniformitas in Monaſterijs ſeruaretur. Vide opuſc. 1. infra num. 288. ibi *naſcentia terræ*.

CXXVIII. *Panis libra propenſa*] *Propenſa* ideſt præponderata, & menſurata. Hoc autem libræ pondus quatuor librarum erat; vnciarum ſcilicet quadraginta octo. Sic enim de illo Petrus Diaconus, *Pondus panis, vt Paulus huius Cœnobij Caſinenſis Diaconus in Epiſtola, quam ad Carolum Imperatorem miſit* (nomine Theodemari) *teſtatur, quatuor librarum eſt. Quod ne quis autumet, me id mendoſe dixiſſe, ipſius Epiſtolæ verba hic inſeram. Direximus quoque Pondo* (non pondus, vt alij legunt) *quatuor librarum; ad cuius æqualitatem ponderis panis debeat fieri, qui in quaternas quadras ſingularum librarum, iuxta Sacræ Regulæ textum, poſsit diuidi. Quod pondus ſicut ab ipſo Patre eſt inſtitutum, in hoc eſt loco repertum*. Sic Paul. Cui ſubiungit Petrus. *Hoc igitur Pondus temporibus Pelagij Papæ, incenſo à Langobardis hoc Caſinenſi Cœnobio,*

bio, à Bonito S. P. Benedicti diſcipulo in Lateranenſi Cænobio depoſitum, & à Papa Gregorio Iuniore; qui nomen ſuũ inibi literis argenteis deſcribi iuſſerat, per ſucceſſorem ſuum Zachariã in hoc loco redditum, ac in Veſtiario Fratrum vſque in hodiernum diem perdurat. Hæc Petrus. Bernardus verò teſtatur, ſuo etiam tempore pondus illud in hoc Monaſterio perduraſſe. Vixit autem Bernardus circa annum Domini 1270.

CXXIX. Porrò in hodiernum vſque diem aſſeruantur in Sacrario Caſinenſi Pondera duo. Æneum vnum, fabrefactum, triginta nouem vnciarum huius Regni, cum hac in girum cælata inſcriptione. *Pondus libræ panis B. Benedicti*. Ferreum alterum infuſo plumbo, magis rude, vnciarum quadraginta octo, nullam habens inſcriptionem. Quorum alterum panis, alterum vini pondus fuiſſe vulgus opinatur; ſed ineptè: tum quia alterutrum illorum ad Monaſticam ſobrietatem fuiſſet nimis affluens vini portio: tum etiam, quia ex cap. ſequenti, & ex Epiſtola Theodemari, vinum non dabatur ad pondus, ſed ad menſuram. Vtrumque igitur credendum eſt fuiſſe Panis pōdus; ſed ad diuerſa tempora, vel perſonas pertinuiſſe. Certè Riccardus noſter in explanatione huius capitis teſtatur, ſe audiuiſſe, libram panis huius Cœnobij fuiſſe maiorem tribus libris modernis, & huic ponderi correſpondet Æneum ſupradictum: pendet enim tribus libris, totidemq; vncijs Neapolitanis.

CXXX. Addidi *Neapolitanis*: Siquidem in huiuſmodi nominibus ponderum, & mēſurarum

facile

facile æquiuocari cõtingit:cum ſub eodẽ nomine diuerſa ſit ſæpè nominis ſignificatio pro diuerſitate Prouinciarũ. Exempli gratia, Vncia,& Libra Neapolitana minor eſt,quàm Romana. E contra vlna Romana minor eſt Neapolitana:& nihilominus eodẽ appellantur nomine. Sic libra Troiana, libra Pariſienſis, Turonenſis, Andegauenſis, Hibernenſis, diuerſi erant valoris,& ponderis. Qua diſtinctione, & obſeruatione conciliari aliquando poterunt variantia de Libra Benedictina auctorum teſtimonia. Vix enim aliud æque variare,quam pondera, & menſuræ rerum ſolent.

Patres noſtræ Congregationis Caſinenſis in declaratione huius Capitis referunt, libram panis, *vt acceperunt ex Monaſterio Caſinenſi*, fuiſſe vnciarum triginta trium, & ſemis. Vnde Hæftenus, & Caramuel aſſerunt, Libram Caſinenſem fuiſſe eiuſdem ponderis. Sed quo fundamento id aſſerere potuerint, mihi vſque hodie inexploratum eſt: Nullum ſiquidem talis ponderis monumentum in hoc Monaſterio reperire potui. Iacobus tamen Breulius apud Hæftenum teſtatur, ſimile pondus triginta trium vnciarum,& ſemis,repertum fuiſſe in Monaſterio Foſſatenſi, nùnc Canonicorũ ſecularium. Cui ponderi fere æqualis eſt libra maior Regni Neapolitani, quam Rotulũ nuncupat vulgus. Tam affluentem autem panis quantitatem Monachis aſſignauit diſcretione præcipuus Legislator, vt omnibus complexionibus ſatis daret. Si quid vero ſupereſſet pauperibus erogaretur.

CXXXI. An autem alterum ex duobus põderi-

deribus,apud nos cuſtoditis, ſit illud idem, quod Zacharias huc reportauit, alijs relinquo diſcernendum: cum in neutro nomen Gregorij deſcriptum appareat; nec vllum talis deſcriptionis veſtigium, niſi forte Petrus non de nomine Gregorij, ſed de nomine Benedicti, ibi deſcripto, loqui voluerit, cum dixit *Suum*. Quæ tamen dura eſſet expoſitio.

Tertia pars à Cellarario ſeruetur reddenda cœnaturis] *Hoc* (inquit Bernardus) *vſque ad tempus meum fuit obſeruatum,quod quædam diſtinctio fiebat in tertia parte panis,vt non eſſent duo,vel tres panes, ſed vnus. Sed ego videns,hoc non multum eſſe decẽs, libram in tres partes diuiſi; vt tertia pars libræ poſſit;non in pane fracto,ſed integro reſeruari*. Sic ille. Et idẽ obſeruabatur tempore Nicolai de S. Germano circa annum 1304. ex ipſius fide hìc.

Subripiat Monacho indigeries] *Subripiat* Bernardus explicat *Latenter rapiat*. Sed legit *Subripiat Monachum*. Verum apud veteres non rarò *Subripiat* ponitur pro *Subrepat*, vt obſeruauit Hæftenus. Vndè facilè crediderim in eodem ſenſu poſitum fuiſſe à S. Patre. Infra enim cap. ſequenti ait, *Subrepat ſatietas*.

Indigeries] Vt à *Congero,Congeries*: ità à *digero,digeries* pro *digeſtio*.

CXXXII. *Carnium vero quadrupedum*] Quoniam quadrupedum tantum hìc meminit Legislator, putant aliqui, quadrupedum tantum carnium comeſtionem in Regula interdici; eo quod ſolidioris ſunt alimenti: nõ verò volatilium,quæ tenuioris, & in cenſu Piſcium numerari debere

 viden-

videntur ; cum eandem habeant originem : vnde Ambroſius, & Eccleſia canit, *Qui ex aquis ortum genus, partim remittis gurgiti, partim leuas in aera.* Et huic opinioni ſuffragatur Theodemarus Abbas, ſcribens Carolo Magno, & Capitulare Ludouici Aquisgranenſ. cap. 78. ſupra citat. Communior tamen Interpretum ſenſus eſt, interdictis quadrupedum carnibus, multo magis interdici volatilia. Qua de re ſic Bernardus noſter. *Quidam hinc arguunt, quod hæc inhibitio ad carnes tantum quadrupedum extendatur; vt Bipedes, ideſt volatilia, poſſint licitè manducari. Sed certè, cum ſint carnes Bipedum, ideſt volatilium dulciores, magiſq; delicatæ, & magis caræ, qui minus delicata vetuit, pro certo, & magis delicata ſumenda negauit. Mos enim Sanctorum Doctorum eſt, in minore comprehẽdere maius; ſicut ibi. Hæc fuit iniquitas Sodomæ, Panis ſaturitas, & otium. Per panem enim diuerſitas intelligitur epularum. Et nota, quod dicit omni modo, & ab omnibus abſtineatur comeſtio. Quia nec debẽt comedi ſecundum hanc Regulam fruſtatim carnes inciſæ, & hoc eſt omni modo: nec ab Abbate, nec ab alijs, & hoc eſt, ab omnibus.* Sic Bernardus. Quæ interpretatio adeo germana viſa eſt nonnullis, vt in textu legendum putauerint, *Carnium vero etiam quadrupedum*, ne ſola volatilia interdicta viderẽtur in generali prohibitione capitis 36. Hinc Sanctus Fructuoſus apud eundem Bernardum, & Smaragdum refert pœnam comedentis carnes olim fuiſſe ſex menſium retruſionem, & pœnitentiam. Ex quo idem noſter Cardinalis ſubiungit, eſum carnium non eſſe mortiferum Monacho, *Vbi*

enim,

enim, inquit, *eſt pœna temporalis adiecta, Doctores ſentiunt culpam non eſſe peccati mortalis*.

Omni modo] Ferè omnes legunt *Omnino*; Sed noſtra Lectio expreſſius interdicere videtur non rem tantum, ſed etiam modum, vt explicauit paulò ante laudatus Bernardus.

Præter omnino debiles, & ægrotos] Smaragdus legit *Debiles ægrotos*, & vult, vnam tantum hìc exprimi perſonam, non duas; ita vt carnium eſus non quibuslibet ægrotis, ſed emaciatis tantum, & longa ægritudine preſſis, ac omnino debilibus indulgeatur. Sic etiam Petrus Diaconus. At Bernardus diſtinguit debiles ab ægrotis; & benigniori intelligentia, vtriſque concedi debere hoc priuilegium, opinatur.

De Menſura Potus.

CAP. XL.

CXXXIII. VNuſquiſq; proprium habet donū ex Deo, alius ſic, alius vero ſic. Et ideo cum aliqua ſcrupuloſitate à nobis menſura victus aliorum conſtituitur. Tamē Infirmorum contuentes imbecillitatem, credimus, Eminam vini per ſingulos ſufficere per diem. Quibus autē *Cor. 1. 2.*

 donat

donat Deus tolerantiam abſtinentiæ, propriam ſe habituros mercedē ſciāt. Quod ſi, aut loci neceſſitas, vel labor, aut ardor æſtatis amplius popoſcerit, in arbitrio Prioris conſiſtat, conſiderās in omnibus, ne ſubrepat ſatietas, aut ebrietas, licet legamus, vinum omnino Monachorum non eſſe. Sed quia noſtris temporibus id Monachis perſuaderi non poteſt, ſaltem vel hoc cōſentiamus, vt non vſque ad ſatietatem bibamus, ſed parcius: Quia vinum apoſtatare facit etiam ſapientes. Vbi autem neceſſitas loci expoſcit, vt nec ſupraſcripta menſura inueniri poſſit, ſed multo minus, aut ex toto nihil, benedicant Deum, qui ibi habitant, & non murmurent. Hoc ante omnia ammonentes, vt abſque murmurationibus ſint.

Eccleſ. 15.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

CXXXIV. E*Minam vini*] Hemina vas erat capiens certam liquoris quantitatem. Fauſtus S.Patris diſcipulus in vita S.Mauri loquens de diſceſſu eiuſdem Sancti è Caſino, ſic ait. *Proferri iuſsit* (S.B.) *pondus libræ panis,& vaſculum æreum, vini eminam capiens*. Hæc menſura à Pontifice Zacharia cum panis pondere, de quo ſupra, ex Monaſterio noſtro Lateranenſi ad hoc Caſinenſe reportata fuit, ibique vſque ad ætatẽ Nicolai noſtri, imo vſque ad ſua tempora, ait Trithemius, perdurauit. Modo hic non extat. Quapropter, quod in declaratione huius capitis aiunt Patres noſtræ Congregationis (*quia Hemina vini eſt multo plus, quàm communi neceſsitati vnius Monachi ſufficiat,vt ex Monaſterio Caſinenſi percepimus*) opinor,ortum habuiſſe ex vulgari errore credentium; alterum ex duobus ponderibus, hic aſſeruatis,fuiſſe pondus vini,vt ſupra notauimus.

CXXXV. Sed,quæ Herminæ quantitas? Reſpondeat Petrus Diaconus hic. *Alij dicunt, quod Emina appendeat libram vnam, quæ facit mille centum quinquaginta ſeptem lupinos;quæ geminata Sextarium facit. Alij, quòd habet ciathos ſex,quod ſunt Septingenti viginti lupini. In libro verò Flauij Dardani, quod Caſsius Mineus temporibus Sanctiſsimi Patris Benedicti de Græco in Latinũ tranſtulit,quod-*

que

que ego Petrus Diaconus penè iam vetuſtate conſumptum, in hoc Caſinenſi Cœnobio reperiens, vix legere potui, hos verſus ad verbum inueni deſcriptos.

Mna vocitant noſtri, quæ minam dixere priores.
Forte illis. *Centũ hæc ſunt Dragmæ, quodſi decerpſeris illas*
Quatuor, efficies hanc noſtram denique libram.

Centum Drachmas facere minam, teſtãtur etiam Iulius Pollux, Scaliger, & alij. Multi Heminam viginti quinque vncias pendere autumant: Alij Sexdecim: Alij Quindecim, vel Duodecim, vel Nouem, ſeù dimidiam Sextarij partem. Vnde Gellius lib. 3. cap. 14. *Si è Sextario Emina fuſa eſt, dimidium, non dimidiatum Sextarium fuſum dicendum eſt.* Et Fannius apud Martinium.

At Cotylas, quas ſi placeat dixiſſe licebit
Heminas, recipit geminas ſextarius vnus.

Nicolaus verò noſter, *ſicut* inquit, *de facto ſum expertus, Emina parum plus, aut parum minus poteſt recipere, quàm Penctum, quod eſt mẽſura quædã apud Romanos. Et quod de tali menſura intellexerit B. Benedictus, ſatis veriſimile fore dignoſcitur, ex eo, quod Nurſia Prouincia, vnde ortus fuit tales menſuras habet in vſu; & in vendendo, & in emendo circa menſuras huiuſmodi communiter vſum ſequitur Romanorum.* Hæc Nicolaus. Ex his omnibus liquido conſtat, neutrum ex duobus ponderibus Caſinenſibus fuiſſe põdus vini: Nullus enim tam amplæ menſuræ, & quantitatis facit Heminam.

CXXXVI. Hæc autem menſura, quando Monachi bis in die comedebant, diuidebatur in duas partes, non quidem æquales, ſed proportionales, pro prandio, & pro cœna. Teſtis eſt Theo-

Theodemar, vel Paul. Diac. in Epiſtola citata. *Miſimus etiam,* inquit, *menſuram potus, quæ prandij, & alia, quæ cœnæ tempore debeat Fratribus præberi. Quas duas menſuras æſtimauerunt maiores noſtri Eminæ menſuram eſſe*. Hæc ille. Si autem diuiſio fuiſſet æqualis, vnum, non duo vaſa miſiſſet.

CXXXVII. *Quod ſi, aut loci neceſsitas, vel labor*] Conſuetudinem Sacræ huius Domus circa hoc poſteris tradidit idem Theodemar his verbis, *Æſtatis tempore poſt Nonam aliquid, ſi eſt de pomis, & ſingulas fialas noſtris Fratribus præbemus. Cum verò tempus ſectionis eſt fœni, etiam potionem ex melle ad horam quartam laborantibus Fratribus propinamus*.

Ne ſubrepat ſatietas] Aliqui legunt, *Surripiat*, ſicut ſupra, *Subripiat indigeries*. Sed hic omnes noſtri legunt *Surrepat*.

Licet legamus vinum omnino Monachorum non eſſe] Legitur hæc ſententia in Vitis Patrum lib. 5. Obſeruatio eſt Smaragdi, Petri Diaconi, & nuper Hæfteni.

Hoc ante omnia] *Hoc autem omnino*, magis placuit modernis.

Qui-

Quibus horis oportet reficere Fratres.

CAP. XLI.

CXXXVIII. A Sãcto Paſcha vſque Pẽtecoſten ad Sextã reficiant Fratres, & ad ſeram cœnent. A Pentecoſte autem tota æſtate (ſi labores agrorum non habent Monachi, aut nimietas æſtatis non perturbat) Quarta, & Sexta feria ieiunent vſque ad Nonam: reliquis diebus ad Sextam prandeant. Quæ prandij Sexta, ſi opera in agris habuerint, aut æſtatis feruor nimius fuerit, continuanda erit, & in Abbatis ſit prouidentia. Et ſic omnia temperet, atque diſponat, qualiter, & animæ ſaluentur, &, quod faciunt Fratres, abſque iuſta murmuratione faciant. Ab Idibus autem Septembris vſque caput Quadrageſimæ ad Nonã ſemper reficiant. In Quadrageſima

vero

vero vſque in Paſcha ad veſperam reficiant. Ipſa tamen Veſpera ſic agatur, vt lumine lucernæ non indigeant reficientes. Sed luce adhuc diei omnia conſumentur. Sed & omni tempore, ſiue Prandij, ſiue Cœnæ, refectionis hora ſic temperetur, vt cum luce fiant omnia.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

IN titulo. *Oportet*] Alij *Oporteat*.

Vſque Pentecoſten] Sine *Ad*, quam addunt vulgatæ. *Vſque* ſine *Ad*, ſæpè reperies in Capitular. Caroli Magni.

Quæ prandij Sexta continuanda eſt] Dixerat, Quarta, & Sexta feria ieiunandum vſque ad Nonam, ſi labor, & æſtus non impedirent; reliquis vero diebus prandendum ad Sextam: Nunc ſubiungit, ſi nimius æſtus, aut labor perturbat, Prandium ad Sextam continuandum eſſe etiam Quarta, & Sexta feria, ſicut Feria Secunda, Tertia, & Quinta; vt ſcilicet, neque feria Quarta, neq; Sexta ieiunent. Cum igitur dicit, *Quæ prandij Sexta* idē eſt, ac *Quod prandium ad Sextam*.

CXXXIX. *Abſque iuſta murmuratione*] Sic antiquiores noſtri Codices. Moderni legūt *Abſq;*

vlla murmuratione. Forte quia videbatur ipſis, murmurationem iuſtam eſſe non poſſe. Ad quod Bernardus noſter. *Videtur* inquit *eſſe oppoſitum in obiecto, quòd murmurationem appellat iuſtam. Ad hoc quidam reſpondent, quòd aliquæ Regulæ nõ habent hũc adiectiuum, Iuſta. Sed apud nos in omnibus Regulis eſt iſte adiectiuus, & niſi B. Benedictus vidiſſet, poſſe iuſtè aliquem murmurare, non ſic dixiſſet. Beatus autem Gregorius ſuper illo verbo Iob, Si aduerſum me terra mea clamat, dicit, Terra enim contra poſſeſſorem ſuum clamat, quando contra Paſtorem ſuum iuſte Eccleſia murmurat*. Sic Bernard. & ſumpſerat ex expoſitione, quam credidit Pauli Diaconi, apud quem plurá loca, poſt quæ ſubnectit auctor ille. *Ecce quia inuenta ſunt loca, vbi iuſta murmuratio reperitur. Benè in hoc loco iuſta murmuratio habetur, maximè in Regula S. Benedicti, quam ipſe ſcripſit, Iuſta, repertum eſt, quaſi diceret alijs verbis: Ità temperet, atque diſponat, qualiter & animæ ſaluentur, & quæ faciunt Fratres, non habeant, vndè iuſte, & rationabiliter murmurent*. Sic ille cui conſonat Smaragdus, & Turrecremata.

Ab Idibus autem Septembribus] Non *Septembris*, vt legunt cæteri.

Vſque Caput Quadrageſimæ. Vſque in Paſcha] De his notatum eſt ſupra.

Reficiant] Neutrum prò actiuo, vel paſſiuo.

Lumine] Aliqui Caſinenſes legunt *Lumen*.

Sed & omni tempore ſiue Prandij, ſiuè Cœnæ, refectionis hora ſic temperetur] Hæſtenus, & alij legunt, *Sed & omni tempore ſiuè Cœnæ, ſiue refectionis, hora ſic temperetur*. Sed lectio noſtra antepo-

nenda

nenda. Cœna enim contradiſtinguitur à Prandio, non à Refectione, quæ eſt genus ad vtrumque. Neque Refectionis nomine intelligi poteſt Ientaculum ſerotinum: Tunc enim non erat in vſu. Quare ſenſus eſt: Siue tempore, quo non ieiunatur, ſiue tempore Ieiunij, hora refectionis, &c.

Vt poſt Completorium nemo loquatur.

CAP. XLII.

CXL. OMni tempore ſilentium debent ſtudere Monachi; maxime tamen nocturnis horis: Et ideo omni tempore, ſiue ieiunij, ſiue prandij, ſi tempus fuerit prandij, mox vt ſurrexerint à Cœna, ſedeant omnes in vnum, & legat vnus Collationes, vel Vitas-Patrum, aut certe aliud, quod ædificet audientes: Non autẽ Heptaticum, aut Regum: quia infirmis intellectibus non erit vtile illa hora hanc ſcripturam audire: alijs vero horis legantur. Si autem ieiunij dies fuerit,

rit, dicta Veſpera, paruo interuallo, mox accedant ad Lectionem Collationum, vt diximus; & lectis quatuor, aut quinque folijs, vel quantum hora permittit, omnibus in vnum occurrẽtibus per hanc moram Lectionis, ſi qui forte in aſſignato ſibi commiſſo fuit occupatus, occurrat. Omnes ergo in vnum poſiti compleant; & exeuntes à Completorijs, nulla ſit licentia denuo cuiquam loqui aliquid. Quod ſi inuẽtus fuerit quiſquam præuaricare hanc taciturnitatis Regulam, graui vindictæ ſubiaceat: Excepto, ſi neceſſitas Hoſpitum ſuperuenerit, aut forte Abbas alicui aliquid iuſſerit. Quod tamen & ipſum cum ſumma grauitate, & moderatione honeſtiſſimè fiat.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

CXLI. C*Ompletorium*] Nomen hoc à S. P. Benedicto primò vſurpatum inuenitur

ex

ex Garanto,& ſanè aptiſſima nuncupatione: Ea enim hora complentur diurnæ preces cum die. Solebat autèm Completorium dici poſt Cœnā: vndè à Græcis appellatur *Apodeipnon* , idest *poſt Cœnam*. Quæ conſuetudo ad vſque noſtra tempora perdurauit: Poſt Completorium enim loqui non licebat, ſed cubitum ibant omnes. Reperitur Completorium in adiectiuo in vita S. Huberti Leodicenſis, *Officium Completorium cecinimus, cubitumque receſsimus*.

Silentium] Cæteri legunt, *Silentio*. Ad hoc Bernardus Abbas. *Idem eſt omni tempore ſtudere ſilentium, ac ſi diceretur, ſtudium Monachi debet eſſe ad ſilentium obſeruandum. Suppleo ibi, Ad, quia Accuſatiuus à Neutro regulariter non regeretur*. Ita Bernardus, qui cum defectum literæ aduertiſſet, mutare tamen noluit.

CXLII. *Collationes*] Anachoretarum Patrū Collationes luculētiſſimè ſcripſit Caſſianus, quas in Conuentu Monachorum legi præcipit Legislator noſter. *Collatio* autem ex Smaragdo idem eſt, ac *Conferentia, Confabulatio*, & *Conſeſſus*: quia in vnum conſedentes, aliquid in communi ſinguli conferunt. Eaque de cauſa Dogmata fidei noſtræ in vnum congeſta, appellata fuiſſe *Symbolū*, ideſt *Collationem*, cēſet Ruffinus ex Epiſtola, quæ circumfertur ſub nomine Clementis Romani ad Iacobum fratrem Domini: eo quod ſinguli Apoſtoli in illud aliquid contulerunt, Petrus enim dixit, *Credo in Deum Patrem Omnipotentem*. Andreas, *Et in Ieſum Chriſtum, &c.* Græcè enim *Symbolum*, Latinè eſt *Collatio*. Sic Cœna Collati-

tia

tia apud veteres vocabatur, in qua ſinguli conuiuæ conferebant Symbolum, ideſt aliquam cibi portionem. Cæterum, qui ſic interpretantur, inquit Voſſius in Libello de tribus Symbolis, confundunt *Symbolum* cum *Symbola:* Veteres enim eam cibi portionem, quam ſinguli conferebant in conuiuio, appellabant *Symbolam*, non *Symbolum*. Et *Aſymboli* vocabantur, qui abſque *ſymbola* ad conuiuium accedebant. Hinc apud Athenæū lib. 3. legas Cteſibium Chalcedonenſem dixiſſe, *ex Philoſophia ſibi ſupereſſe artem ſine ſymbola cœnandi*. Vbi Caſaubonus monet, nè cum *Symbola* confundamus *Symbolum*, apud Martin. Noſtræ igitur Fidei Regulam non ob eam, quam diximus, rationem, appellatum fuiſſe *Symbolam*, cenſent Alij; Sed, vel quia (neque id neſciuit Ruffinus) erat veluti teſſera, ſignaculum, & inditium, quo fideles ab infidelibus diſcernebantur, ſicut teſſera militaris, qua milites ab hoſtibus dignoſcuntur. Vnde Maximus Taurinenſis in traditione Symboli, *Symbolum*, inquit *teſſera eſt*, *& ſignaculum, quo inter fideles, perfidoſque ſecernitur*. Vel quia, ſicut in contractibus *Symbolum* eſt ſignum, quo vtimur loco tabellarum, & Syngrapharum ad firmandum contractum, vt teſtantur Suidas, Turnebus, & alij; ſic ſymbolum fidei eſt veluti teſſera, & index pacti, quod in baptiſmo iniuimus cum Deo, ex Ambroſio lib. 3. de velandis virginibus, & Chriſologo homil. 62. qua Symbolum interpretatur. Vide Voſſium loc. cit.

CXLIII. Denique Collationis nomen vſurpatum fuit ad ſignificandum Ientaculum ſerotinum,

num, ſeù refectiunculam illam, quam ieiuniorum diebus ſero ſumere ſolemus. Cuius vſurpationis originem Francolinus de Tempore hor. Canon.cap.38. & Ioannes Fileſanus Theologus Pariſienſis de Quadrageſima Chriſtiana cap. 6. deducunt ex vſu Monachorum. Cum enim introducta fuiſſet in Monaſterijs conſuetudo relaxandi rigorem comedendi ad Veſperam in ieiunijs, ſed comederent ad meridiem: ſimul quoque introduci cœpit mos ille ſumendi ad Veſperam parum cibi, & potus ad proſpiciendum imbecillitati. Vt autem ea refectio ordinatè fieret, & minori temporis diſpendio, legi cœperunt Collationes Patrum in Refectorio, & interim dum legeretur, peragebatur Comeſtiuncula. Hinc apud Monachos (& ex ipſis fluxit ad ſeculares) refectio illa, & ientaculum vocari cœpit, *Collatio*: nè enim viderentur ad Cœnam, & comeſtionem congregari, quam in ieiunijs duplicare non licet, modeſtiori vocabulo rem honeſtantes, dicebant ad Collationem conuenire. Et in hac ſignificatione nomen Collationis vſurpauit Concilium Nannetenſe cap. 13. & refertur cap. Quando, diſt. 44. & Concilium Laodicenum cap. 55. Vide Caſalium de veteribus ſacris Chriſtianorum ritibus cap. 62. & Hæſtenum hìc.

Heptaticum] Alij *Heptateucum*. Eſt autèm *Heptaticus*, vel *Eptaticus* ſine aſpiratione, primus Tomus Sacræ Bibliæ, continens ſeptem libros priores, Geneſim, Exodum, Leuiticum, Numeros, Deuteronomium, Ioſue, Iudicum, cum libro

Ruth,

Ruth, qui eſt appendix Iudicum. Nam *Heptas* Græcè eſt Latinè *Septem*; ſicut *Pentateuchus* eſt Tomus quinque librorum. Heptatici meminit Arator lib. 1. cap. 17. Hincmarus Rhemenſis, Iuo Carnotenſis Epiſt. 83. Gregor. lib. 2. Epiſt. 49. Euſebius Emiſſenus hom. in Lucam cap. 15. Sydonius Apoll. lib. 5. Epiſt. 15. & Decretum cap. Qualiter, quæſtione prima. Prædicti igitur ſeptem libri, & quatuor Regum, & Cantica non debent legi poſt cœnam: *continent enim* (inquit S. Leander) *hiſtorias voluptuoſas, quæ illa hora non omnibus aptæ ſunt*.

Occurrentibus] Alij *Concurrentibus*. *Occurrere* pro *Concurrere* vſurpant Capit. Carol. Magni librò 7. cap. 360. & alij eorum temporum auctores.

In aſsignato ſibi commiſſo] Italicè diceremus, *Nella Commeſsione, ò impiego aſsignatogli.*

A Completorijs] In plurali habent noſtri, & nõ ineptè. Nam, ſicut in plurali rectè dicuntur *Matutini*, ità *Completorij*.

Prauaricare] Pro *Prauaricari*.

Graui] *Grauiori*, legunt vulgatæ.

Honeſtiſsimè] In Codice Abbatis Ioannis legitur adiectiuè, *Cum moderatione honeſtiſsima*.

De

De his, qui ad opus Dei, vel ad menſam tarde occurrunt.

CAP. XLIII.

CXLIV. AD horam Diuini Officij, mox vt auditum fuerit ſignum, relictis omnibus (quælibet fuerint in manibus) ſumma cum feſtinatione curratur, cum grauitate tamen, vt non ſcurrilitas inueniat fomitem. Ergo nihil operi Dei præponatur. Quod, ſi quis in nocturnis vigilijs poſt Gloriã Pſalmi nonageſimi quarti (quem propter hoc omnino ſubtrahendo, & moroſe volumus dici) occurrerit, nõ ſtet in ordine ſuo in Choro; ſed vltimus omnium ſtet, aut in loco, quem talibus neglegentibus ſeorſum conſtituerit Abbas, vt videatur ab ipſo, vel ab omnibus, vſque dum, completo opere Dei, ſatisfactione publica pœniteat. Ideo autem eos in vltimo,

aut ſeorſum iudicauimus debere ſtare, vt viſi ab omnibus, vel pro ipſa verecundia ſua emendentur. Nam, ſi foris Oratorio remaneant, erit forte talis, qui ſe, aut recollocet, & dormiat, aut certe ſedeat ſibi foris, vel fabulis vacet, & detur occaſio maligno. Sed ingrediatur intus, vt nec totum perdat, & de reliquo emendetur. Diurnis autem horis, qui ad opus Dei poſt Verſũ, & Gloriam primi Pſalmi, qui poſt Verſum dicitur, non occurrerit; lege, qua ſupra diximus, in vltimo ſtet; nec præſumat ſociari Choro pſallentium, vſq; ad ſatisfactionem: niſi forte Abbas licentiam dederit permiſſione ſua; ita tamen, vt ſatisfaciat reus ex hoc.

CXLV. Ad menſam autem, qui ante Verſum non occurrerit, vt ſimul omnes dicant Verſum, & orent, & ſub vno omnes accedant ad menſam, qui per neglegentiam ſuam aut vitium nõ occurrerit, vſque ſecũdam vicem pro

hoc corripiatur. Si denuo non emendauerit, non permittatur ad menſæ communis participationẽ; ſed, ſequeſtratus à conſortio omnium, reficiat ſolus, ſublata ei portione ſua de vino, vſque ad ſatisfactionem, & emendationem. Similiter autem patiatur, qui & ad illum Verſum nõ fuerit præſens, qui poſt cibũ dicitur. Et, ne quis præſumat ante ſtatutam horam, vel poſtea quidquam cibi, aut potus præſumere. Sed, & ſi cui offertur aliquid à Priore, & accipere renuerit, hora, qua deſiderauerit, hoc quod prius recuſauit, aut aliud omnino nihil percipiat vſque ad emendationem congruam.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

CXLVI. VT *non ſcurrilitas*] Caramuel vellet aptius legi, *Vt ſcurrilitas non inueniat*. Sed S. Patri vſitata eſt phraſis. Cap. 2. *Nõ conuertenti è ſeruitio præponatur ingenuus*, prò, *Conuertenti è ſeruitio non præponatur ingenuus*, & reperitur frequenter in antiquis. Vide notas ad cap. 2.

In nocturnis Vigilijs] Quod alij *Ad nocturnas vigilias.*

Subtrahendo] In vulgatis, *Protrahendo*. Sed idem eſt ſenſus.

Nam, ſi foris Oratorio] *Foras Oratorium*. Pariſ. & alij.

Sedeat ſibi foris] Expunxerunt pronomen impreſſi. At empha ſim etiam detraxerunt, & energiam.

Intus] Pariſ. *Intro.*

Qui ad opus Dei poſt Verſum, & Gloriam primi Pſalmi, qui poſt Verſum dicitur, non occurrerit] Ex noſtris etiam aliqui legunt, *Occurrerit*, ſine præcedenti negatione. Sed vtriuſque Lectionis, licet videantur contradictoria, idem eſt ſenſus. Nam, ſi demas negationem, ſenſus eſt; *Qui occurrerit poſt Gloriam primi Pſalmi, ſtet in vltimo loco.* Si autem legas cum negatione, vt eſt in noſtris antiquis, verbum *Occurrerit*, importat Futurum exactum, nempe, *Qui poſt Gloriã non occurrerit*; ideſt, non iam venerit in Chorum. Italicè: *Chi dopò la Gloria del primo Salmo non ſarà venuto in Choro.* Nam *Occurrerit* vtramque habet ſignificationem, *Verrà*, ò, *Sarà venuto*: *Concorrerà*, ò *Sarà concorſo*. Retinenda igitur lectio noſtra, vt germana.

Et ſub vno omnes] *Et ſub vno ſimul omnes* legũt alij. Sed, *ſub vno*, idem eſt, ac *ſimul*. Ergo alterutrum ſufficit.

De vino] *Vini* legunt communiter.

Et, nè quis præſumat] *Nec quiſquam præſumat*, repoſuerunt moderni, inuitis noſtris.

Præſumere] Alij *Percipere.*

Renuerit] Ex noſtris aliqui *Renuit*.
Percipiat] Alij *Accipiat*.

De his, qui excommunicantur, quomodo ſatisfaciant.

CAP. XLIV.

CXLVII. QVi pro grauioribus culpis ab Oratorio, & à menſa excommunicatur; hora, qua opus Dei in Oratorio celebratur, ante fores Oratorij proſtratus iaceat, nihil dicens; niſi tantum poſito in terra capite, ſtratus pronus omnium de Oratorio exeuntium pedibus. Et hoc tandiu faciat, vſque dum Abbas iudicauerit, ſatisfactũ eſſe. Qui, dum, iuſſus ab Abbate, venerit, voluat ſe ipſius Abbatis, deinde omnium veſtigijs, vt orent pro ipſo. Et tunc, ſi iuſſerit Abbas, recipiatur in Choro, vel ordine, quo Abbas decreuerit; ita ſane vt Pſalmum, aut Lectionem, vel aliud quid non præſu-

mat

mat in Oratorio imponere; niſi iterum Abbas iubeat. Et omnibus horis, dum percompletur opus Dei, proijciat ſe in terra, in loco, in quo ſtat, & ſic ſatisfaciat, vſque dum ei iubeat iterum Abbas, vt quieſcat iam ab hac ſatisfactione. Qui verò pro leuibus culpis excõmunicantur tantùm à menſa, in Oratorio ſatisfaciant vſque ad iuſſionem Abbatis, & tandiu hoc perficiant, vſq; dum benedicat, & dicat ſufficit.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

CXLVIII. *Qui pro grauioribus culpis*] Pariſ. & aliæ editiones legũt in ſingulari.

Celebratur] Turrecremata *Percelebratur*.

In terra] Aliqui *In terram*. Et conſonat Codex Ioannis.

Stratus pronus] *Proſtratus*. Turrecrem. & alij.

Exeuntium pedibus] Addit idem Cardinalis cũ alijs: *Se proijciat*. Sed deſunt in noſtris. Senſus noſtri auctoris videtur eſſe; *Stratus pronus*, ideſt, *Proſtrato affatto, e proſteſo à i piedi, &c.*

Voluat ſe ipſius Abbatis, deinde omnium veſtigijs] Salm. Pariſ. & aliæ legunt *Prouoluat ſe ipſius Abbatis*

tis pedibus, deinde omnium veſtigijs Fratrum.

Vel ordine] Alij *Vel in ordine.* Sed vna præpoſitione regulari poteſt vtrumque nomen.

Dum percompletur] Communiter *Completur.*

In terra] *In terram.*

Iterum Abbas]. Sine *Iterum* Pariſ. & alij.

Vt quieſcat iam] Vacat *Iam* in quibuſdam.

Et tandiu hoc perficiant] Sic plures ex noſtris. Sed Codex Abbatis Ioannis legit *Vſque ad iuſsionem Abbatis hoc perficiant.* Pariſ. verò *Vſque ad iuſsionem Abbatis hoc ſemper faciant.* At Turrecr. *Et vſque ad iuſsionem Abbatis hoc faciant.*

De his, qui falluntur in Oratorio.

CAP. XLV.

CXLIX. SI quis dũ pronunciat Pſalmum, Reſponſoriũ, Antiphonam, vel Lectionem, & fefellerit; niſi ſatisfactione ibi coram omnibus humiliatus fuerit, maiori vindictæ ſubiaceat: quippe qui noluit humilitate corrigere, quod neglegentia deliquit. Infantes autem pro tali culpa vapulent.

VA-

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

CL. ET *feſellerit* Cæteri legunt *Fallitur*. Nimirum, qui fallitur dum Pſalmũ pronunciat. Sed, retinendo Caſinenſem Lectionem, ſenſus eſſe poteſt de illis, qui dum falluntur, fallunt etiam alios; itaut perturbent Chorũ; & ideo dixit *Feſellerit*. Ad quod Nicolaus noſter: *Et feſellerit, ſcilicet fallere facit alios*. Bernard. verò ſic *Aut facit fallere totum Chorum; ita quod alios cõturbet: aut fallit ſine aliqua conturbatione. In primo caſu dat conſuetudo Caſinenſis, vt ſe flectat; ita quod caput ponat in terra. In ſecundo ſufficit, vt ſe flectat, ſicut eſt cõſuetudo cum dicitur Gloria Patri.* Sic Bernard. apud quem plura, & mutuata à Codice Abbatis Ioannis, à quo etiam Riccardus, qui ſubiũgit, *Sicut in iſto Caſinenſi Monaſterio obſeruatur*. Ex quibus apparet, Caſinenſes intellexiſſe *Feſellerit* actiuè, & tranſitiuè, de his ſcilicet, qui Chorũ fallunt; vt proinde lectio noſtra retinenda ſit, niſi quod redundare videtur particula *Et*. Nihilominus quoniam huius capitis titulus eſt, *de his, qui falluntur*; dici etiam poteſt, *Feſellerit* poſitum fuiſſe pro *Falletur*.

Niſi ſatisfactione] *Niſi cum ſatisfactione*.

CLI. *Infantes autem* Petrus Diaconus hìc. *Conſuetudo antiquitus fuit in Monaſterio Caſinenſi, vt Infantes Verſus Pſalmorum pronunciarent: deinde Chorus conſequeretur. Nam Infans alta voce di-*

cebat,

cebat, Beatus vir: deinde cæteri, Qui non abijt in conſilio impiorum. Et ſi defuiſſent Infantes, alius quilibet ſimiliter. Et Lectiones, & Antiphonas ipſi pronunciant. Ideo dixit Sanctiſsimus Pater Benedictus, vt pro tali culpa vapulentur Infantes. Hæc Petrus. Gloſſarium tamen refert ſublatam poſtea fuiſſe hanc conſuetudinem Caſini; Sed Chorus per ſe incipiebat.

De his, qui in alijs quibuslibet rebus delinquunt.

CAP. XLVI.

CLII. SI quis, dum in labore quouis, in Coquina, in Cellario, in Miniſterio, in Piſtrino, in Horto, in arte aliqua dum laborat, vel in quocũque loco aliquid deliquerit, aut fregerit quippiam, aut perdiderit, vel aliud quid exceſſerit vbi vbi; & non, veniens continuo ante Abbatem, vel Congregationem, ipſo vltro ſatisfecerit, & prodiderit delictum ſuum, dum per alium cognitum fuerit, maiori ſubiaceat emendationi. Si animæ verò pec-

cati cauſa fuerit latens, tantum Abbati, aut ſpiritualibus Senioribus patefaciat, qui ſciant curare ſua, & aliena vulnera non detegere, & publicare.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

CLIII. Titulum huius capitis Hæftenus, & alij ſic inſcribunt. *De his, qui in leuibus rebus delinquunt.* Quidam verò. *De his, qui in aliquibus rebus leuibus delinquunt.* Salmant. Sed Codex Ioannis in expoſitione non patitur legi *Leuibus*; nè videatur Officium Diuinum leue eſſe.

Miniſterio] Salmant. editio legit *Monaſterio.* Sed non aptè. *In Miniſterio* igitur legendum, ideſt dum miniſtrat Menſæ, vel quid ſimile exercet.

Si animæ verò peccati cauſa] Peccatum hic, nō de Theologico, ſed de ciuili intelligendum cenſeo. Quod ſi de Theologico interpreteris, contentionis funem non traham longius; non eſt enim huius loci.

Et publicare] Alij, *Aut publicare.* Salmant. Pariſ.

De

De ſignificanda hora Operis Dei.

CAP. XLVII.

CLIV. NVntianda hora operis Dei die, noctuq; ſit cura Abbati, aut ipſe nuntiare, aut tali ſollicito Fratri iniungat hanc curam, vt omnia horis competentibus compleantur. Pſalmos autem, vel Antiphonas poſt Abbatem ordine ſuo, quibus iuſſum fuerit, imponant. Cantare autem, & legere non præſumat; niſi qui poteſt ipſum Officium implere, vt ædificentur audientes. Quod cum humilitate, & grauitate, & tremore fiat, & cui iuſſerit Abbas.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

N*Vntianda hora*] Smaragdus, & alij. *Nunciãdæ horæ*. Sed hic videtur poſitum *Nunciãda* ſicut ſupra cap. 32. *Subſtantia*: &, ſi vtrobiq; Nominatiuus eſt, per Idiotiſmum eſt dictum.

Abbati] Alij *Abbatis* . Alij *Sit ſub cura Abbatis* . Sed, ſi liceret corrigere, nihil ex antiquis haberemus genuinum.

Aut ipſe nuntiare] Pariſ. & alij *Vt ipſe nunciet* . Quidam *Aut ipſe nunciet Aut ipſe nunciare curet* .

Fiat] Alij *Faciat*.

CLV. Quare autèm cura nunciandi horam Officij Diuini committatur Abbati? Forte (ait Hæſtenus) quia tempore S.P.Benedicti carebant horologijs, quibus nunc vtimur. Eiuſmodi enim machinas, ſe mouentes, ſeu automata, ad horas deſignandas, inuenta fuiſſe à Silueſtro Secundo Benedictino circa annum 993. (quod mirabile inuentum calumniæ locum dedit, vt magus à rudi vulgo crederetur) teſtãtur Abraham Bzouius, & Ciaco in eius vita; cum antea, aut Clepſydris, aut vmbrarum proiectione horæ deſignarentur; aut ex curſu ſtellarum explorabantur, ex Caſſ. lib. 2. cap. 17. Vnde, cum difficilè tunc id fieret, meritò ad Abbatem S. Pater ſpectare voluit; vt ita occaſio murmurandi præcideretur; ſi paulò citius, aut ſerius excitatum fuiſſet. Abbatis enim voluntas pro lege Monachis ſufficere debet. Cũ autem Abbati integrum plerumque non ſit hoc munere fungi immediatè, licitum ei eſt ex Regula diligenti alicui Fratri illud demandare, qui græcè appellatur *Canonarcha*. Ioan. Moſchus in Vitis Patrum lib. 10. cap. 50. apud Magrum, & Hæſtenum. Licet modò apud Græcos Canonarchæ officium ſit ſuggerere Cantori, quicquid ille memoriter cantaturus eſt, qui à nobis vocatur *Præintonator*. In Congregatione noſtra cura Di-

uini

uini Officij nunciandi delegatur Præfecto Sacrarij, qui græcè Cemeliarcha.

De Opere manuum quotidiano.

C A P. XLVIII.

CLVI. OTioſitas inimica eſt animæ: & ideo certis temporibus occupari debent Fratres in labore manuum: certis iterum horis in Lectione Diuina. Ideoque hac diſpoſitione credimus vtraque tempora ordinari; ideſt, vt à Paſcha vſque Kalendas Octubres, à mane exeuntes à Prima vſque horam penè quartam laborent, quod neceſſarium fuerit. Ab hora autem quarta vſque horam quaſi Sextam Lectioni vacent. Poſt Sextã autem, ſurgentes à menſa, pauſent in lectis ſuis cum omni ſilentio; aut forte, qui voluerit legere ſibi, ſic legat, vt alium non inquietet. Et agatur Nona temperius mediante octaua hora: & iterum,

iterum,quod faciendum eſt operentur vſque ad Veſperam. Si autem neceſſitas loci, aut paupertas exegerit, vt ad fruges recolligendas per ſe occupentur,non contriſtentur; quia tunc verè Monachi ſunt, ſi labore manuum ſuarum viuunt, ſicut & Patres Noſtri, & Apoſtoli: Omnia tamen menſuratè fiant propter puſillanimes.

A Kalendis autem Octubribus vſq; Caput Quadrageſimæ vſq; in horam ſecundam plenam Lectioni vacent. Hora ſecunda agatur Tertia, & vſque Nonam omnes in opus ſuum laborēt, quod eis iniungitur. Facto autem primo ſigno Nonæ horæ, diſiungant ab opere Singuli,& ſint parati dum ſecūdum ſignum pulſauerit. Poſt refectionem autem vacent Lectionibus ſuis, aut Pſalmis.

In Quadrageſimæ verò diebus à mane vſque Tertiam plenam vacent Lectionibus ſuis, & vſque decimam

ho-

horam plenam operentur,quod eis in-iungitur. In quibus diebus Quadrage-ſimæ accipiant omnes ſingulos Codi-ces de Bibliotheca, quos per ordinem, & integro legant. Qui Codices in Ca-put Quadrageſimæ dandi ſunt. Ante omnia ſane deputentur vnus, aut duo Seniores, qui circumeant Monaſteriũ horis, quibus vacant Fratres Lectioni, & videant, nè forte inueniatur Frater accedioſus, qui vacet otio, aut fabulis, & non eſt intentus Lectioni, & non ſolum ſibi inutilis eſt, ſed etiam alios extollit. Hic talis,ſi(quod abſit)reper-tus fuerit, corripiatur ſemel, & ſecun-do. Si non emendauerit, correptioni Regulari ſubiaceat,taliter, vt cæteri ti-meant. Neque Frater ad Fratrem iun-gatur horis incompetentibus. Domi-nico item die Lectioni vacent omnes exceptis his, qui varijs officijs deputati ſunt. Si quis vero ita neglegens,& de-ſidioſus fuerit, vt non velit,aut nõ poſ-

ſit

ſit meditari, aut legere, iniungatur ei opus, quod faciat, vt non vacet. Fratribus infirmis, aut delicatis talis opera, aut ars iniũgatur, vt nec otioſi ſint, nec violentia laboris opprimantur, vt effugentur. Quorum imbecillitas ab Abbate conſideranda eſt.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

CLVIII. C*ertis*] Perez legit *Cæteris*.

Vſque Kalendas Octubres] Per Eclipſim particulæ *Ad*, vt ſupra. Sicut etiam *Octubres*: adiectiuè. Sæpè in Anaſtaſ. Biblioth. & eius æui ſcriptoribus. Reperitur etiam *Octimber* pro *October*, In Flodoardo lib. 1. hiſt. Remenſ. cap. 21. & in Martyrolog. Metrico Vvaldelberti Prumienſis apud la Cerda, In Aduerſarijs; & Voſs. de vit. ſerm.

A mane] Sine præpoſitione legitur cõmuniter.

Vſque horam] Sine *Ad*.

Qui voluerit legere ſibi, ſic legat] Vulgatæ *Qui voluerit ſibi legere*.

Et agatur] Omittunt coniunctionem plerique.

CLIX. *Temperiùs*] Corruptam hic eſſe literam opinatur Bernardus; legendumque *Temporiùs*, Sed hoc iam ſupra vindicatum.

Me-

Mediante octaua hora] *Sic intellige*, inquit Bernardus, *quòd in illo medio, quod eſt inter dimidiam octauam, & incæptionem Nonæ, ſurgant Fratres, & Nonam decantent*. Vnde Ioan. 7. *Mediante die feſto*: ideſt, Feſto ad medietatem elapſo. Cũ enim feſtum ſeptem dierum ſpatio celebraretur, Chriſtus aſcendit in Templum die tertia, vel quarta, quæ medium eſt Feſti. Conſonat textus Syrus, & Arabicus. *Cum autem dimidiati eſſent dies feſti.* Vide Maldonatum hìc, & Hæſtenum pag. 780.

CLX. *A Kalendis autem Octubribus vſque Caput Quadrageſimæ*] Sæpè notatum.

Diſiungant ab opere Singuli] Emendandum cenſuerunt Recentiores, *Diſiungant ſe ab opere ſuo.* Lectio tamen noſtra frequentem textus phraſim reddit, & Italiſmum. *Sciogliano dall'opra.*

Vacent Lectionibus ſuis] *Lectioni vacent* communis eſt Lectio.

CLXI. *De Bibliotheca*] Hinc ex primæua noſtri Ordinis inſtitutione, Bibliothecas apud Benedictinos in vſu fuiſſe, liquet. Neq; enim Legislator prudentiſſimus ſuæ militiæ hoc armamentarium deeſſe voluit. Celeberrima inter illas sẽper fuit hæc noſtra Caſinẽſis: cuius copia quãplures aliæ ditatæ ſunt, ipſa non penitus pauperata. Egregiã verò hanc Patrum noſtrorum laudem æmulatus noſtra ætate Reuerendiſſimus Abbas Aloyſius Squadronus, ſuo S. Georgij Maioris Venetiarum Monaſterio, nobiliſſimæque Patriæ magnum hoc ornamentum non inuidit: ampliſſima in eo Bibliotheca magnificè extructa, omnigenaque ſelectorum librorum copiã referta, non ad Mona-

C cho-

chorum tantùm, ſed ad publicam vtilitatem.

In Caput Quadrageſima] *In Capite.*

Accedioſus] Pro *Accidioſus*. Nam & *Acedia* dicitur, & *Accidia*.

Et non eſt intentus] *Et non ſit intentus*, in editìs. Sic etiam. *Inutilis eſt* pro *ſit* : *Extollit* pro *Extollat*.

CLXII. *Extollit*] Ideſt, *è re tollit*. Italicè, *Diſtoglie*, *Diſtrahe*. Sic Tertullianus lib. de Præſcript. aduerſ. hæret. cap. 2. & de ſpectaculis cap. 12. (Si mentem Tertulliani aſſecutus eſt Ludouicus de la Cerda) vſurpauit verbum *Erogare* prò *In rogādare* : cum alia ſit eius verbi Latina ſignificatio.

Vt cæteri timeant] *Vt cæteri metum habeant*, tranſtulerunt ex alio textus loco moderni.

Dominico item die] Deeſt *Item*, in multis vulgatis.

Vt effugentur] Ideſt, *Nec ita opprimantur, vt effugentur*.

De Quadrageſimæ obſeruatione.

CAP. XLIX.

CLXIII. LIcet omni tempore vita Monachi Quadrageſimæ debet obſeruationem habere : tamē, quia paucorum eſt iſta virtus; ideo ſuademus, iſtis diebus Quadrageſimæ omni puritate vitam ſuam cuſtodire,

omnes

omnes pariter, & neglegentias aliorũ temporum his diebus ſanctis diluere: Quod tunc dignè fit, ſi ab omnibus vitijs temperamus. Orationi cum fletibus, Lectioni, & compunctioni cordis atq; abſtinentiæ operam demus. Ergo his diebus augeamus nobis aliquid à ſolito penſu ſeruitutis noſtræ. Orationes peculiares, ciborum, & potus abſtinentiam, vt vnuſquiſque ſuper mẽſuram ſibi indictam aliquid propria voluntate cum gaudio Sancti Spiritus offerat Deo: ideſt ſubtrahat corpori ſuo de cibo, de potu, de ſomno, de loquacitate, de ſcurrilitate, & cum ſpiritalis deſiderij gaudio ſanctum Paſcha expectet. Hoc ipſum tamen, quod vnuſquiſque offert, Abbati ſuo ſuggerat, & cum eius fiat oratione, & voluntate: quia, quod ſine permiſſione Patris ſpiritalis fit, præſũptioni deputabitur, & vanæ gloriæ, nõ mercedi. Ergo cum voluntate Abbatis omnia agẽda ſunt.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

CLXIV. *Licet omni tempore*] Refert Hæftenus, Bernardum, & Nicolaum Caſinenſes continuare hoc Caput cum Paragrapho præcedentis, *In Quadrageſimæ verò diebus*. Verùm in Codice noſtro Bernardi huius capitis initium ſumitur à poſitis verbis, *Licet omni tempore*. Codex verò Nicolai Paragraphũ illum, *In Quadrageſima, &c.* Subnectit poſt integrum hoc Capitulum 49.

Vitam ſuam custodire omnes pariter] Ideſt, *omnes ſimul*. Continuata ſintaxi, deinde ſubiungere, *& neglegentias*. Alij legunt *Omnes pariter negligentias, &c.*

Si ab omnibus vitijs temperamus] *Nos temperemus*, Vulgatæ.

A ſolito penſu] Sic omnes noſtri. Alijs placet *Ad ſolitum penſum*. Et ita legit etiam expoſitio, quæ dicitur Pauli: Licet in textu, expoſitioni præfixo, legatur *A ſolito penſu*.

De

De Frasribus, qui longè ab Oratorio laborant, aut in via ſunt.

CAP. L.

CLXV. FRatres, qui omninò longè ſunt ìn labore, & nō poſſunt hora cōpetenti occurrere ad Oratorium, & Abbas hoc perpendit, quia ita eſt; agant ibidem opus Dei, vbi operantur, cum tremore Diuino, flectentes genua. Similiter, qui in itinere directi ſunt, non eos prætereant horæ conſtitutæ. Sed, vt poſſunt, agāt ſibi, & ſeruitutis penſum non neglegant reddere.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

LOngè ſunt in labore] *Longè ſunt ab Oratorio*, legitur in multis.

Genua] Quidam ex noſtris legunt, *Ienua*.

CLXVI. *Agant ſibi*] Malunt legi quidam *Agant ibi*. Sed aptiùs, *Agant ſibi*; ideſt celebrent

apud

apud ſe, vt contraponatur celebrationi communi in Choro. Sic etiam cap. ſequenti. *Qui forte ſibi vult orare*. Quod autem ait *Similiter*, Aliqui id referunt etiam ad genuflexiones; vt nimirum, quẽadmodum in agro: ſic in itinere debent flectere genua; & ita faciebant Ciſtercienſes: nam, etiam equitantes, deſcendebant ad ſingulas horas, & genibus nixi, officium illius horæ recitabant. Alij verò Monachi in itinere non genuflectebant: ſed, pro genuflexione dicebãt ad ſingulas horas Pſalmũ Miſerere. Hæc ex Bernardo Caſinenſi. Quare illud *Similiter* intelligi patitur, non quoad omnia; ſed tantùm quoad tempus recitandi; nempe, vt ſicut in agro, ita etiam in itinere, non eos prætereant horæ cõſtitutæ. Vide Hæſtenũ pag. 690.

De Fratribus, qui non longe ſatis proficiſcuntur.

CAP. LI.

CLXVII. FRater, qui pro quouis reſponſo dirigitur, & ea die ſperatur reuerti ad Monaſterium, non præſumat foris manducare; etiam ſi omnino rogetur à quouis: niſi forte ei ab Abbate ſuo præcipiatur. Quod ſi aliter fecerit, excommunicetur.

VA-

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

IN titulo. *Satis*] Vacat in aliquibus, etiam ex modernioribus noſtris.

Frater] Multi legunt in plurali. Sed tota ſyntaxis apud nos eſt in ſingulari.

Dirigitur] Alij *Proficiſcuntur*.

Speratur reuerti] Italicè, *Si ſpera, che torni:* Alij legunt actiuè.

Præcipiatur] Præceptum hic ſtat pro licentia: Caram. & colligitur ex Codice Abbatis Ioannis.

Excommunicetur] Ad menſuram inobedientiæ ſecundum gradus ſupra relatos.

De Oratorio Monaſterij.

CAP. LII.

CLXVIII. ORatoriū hoc ſit, quod dicitur: nec ibi quicquam aliud geratur, aut condatur. Expleto opere Dei, omnes cum ſummo ſilentio exeant, & habeatur reuerentia Deo, vt Frater, qui forte ſibi peculiariter vult orare, non impediatur alterius improbitate. Sed ſi alter vult ſi-

bi

bi forte ſecretius orare, ſimpliciter intret, & oret, non in clamoſa voce, ſed in lacrymis, & intentione cordis. Ergo, qui ſimile opus non facit, non permittatur expleto opere Dei remorari in Oratorio, ſicut dictum eſt; ne alius impedimentum patiatur.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

CLXIX. *ORatorium hoc ſit, quod dicitur, nec ibi quicquam aliud geratur, aut condatur*] Suſpenſa, & manca videtur aliquibus hæc ſententia: ideoque explendam putant ſic. *Nec ibi quicquam geratur, aut condatur, quàm, quod diuinis miniſteriis conueniat.* Hugo Menardus ex aliis apud Hæſtenum. Cæterum, etiam ſine hoc adiũcto, ſatis integra eſt ſententia. *Oratorium hoc ſit, quod dicitur*: nẽpe Domus Orationis, *nec ibi aliud quicquam geratur*, Quis non ſubintelligat, *niſi orare?* & ſumpſit S. Benedictus ex Diu. Auguſt. in 3. Regula cap. 8. *In Oratorio nemo aliquid agat; niſi, ad quod factum eſt; vnde, & nomen accepit.*

Condatur] Quidam exponunt *Reponatur*. Alii *Fiat; Exerceatur, Operetur*. Condere enim vtramque admittit ſignificationem.

Ha-

Habeatur reuerentia Deo] Ita habet antiquiſſimus Codex. Alij verò legunt, *Agatur reuerentia Deo*.

De Hoſpitibus ſuſcipiendis.

CAP. LIII.

CLXX. OMnes ſuperuenietes Hoſpites tanquam Chriſtus ſuſcipiantur, quia ipſe dicturus eſt: Hoſpes fui,& ſuſcepiſtis me: Et omnibus congruus honor exhibeatur, maximè domeſticis fidei, & peregrinis. Vt ergo nũtiatus fuerit hoſpes, occurratur ei à Priore, vel à Fratribus cum omni officio caritatis. Et primitus orẽt pariter, & ſic ſibi ſocientur in pace. Quod pacis oſculum non prius offeratur, niſi oratione præmiſſa, propter illuſiones diabolicas. In ipſa autem ſalutatione omnis exhibeatur humilitas omnibus venientibus, ſiue diſcedentibus Hoſpitibus inclinato capite, vel *Matth. 25.*

proſtrato omni corpore in terra, Chriſtus in eis adoretur, qui & ſuſcipitur.

CLXXI. Suſcepti autem Hoſpites ducantur ad Orationem, & poſtea ſedeat cum eis Prior, aut cui iuſſerit ipſe. Legatur coram Hoſpite lex Diuina, vt ædificetur, & poſt hæc omnis ei exhibeatur humanitas. Ieiunium à Priore frangatur propter Hoſpitem: niſi forte præcipuus ſit dies ieiunij, qui non poſſit violari. Fratres autem conſuetudines ieiuniorum proſequantur. Aquam in manibus Abbas Hoſpitibus det: pedes Hoſpitibus omnibus tam Abbas, quam cuncta Congregatio lauet, quibus lotis, hunc Verſum dicant:
Pſal. 47. Suſcepimus Deus miſericordiam tuã in medio templi tui. Pauperum, & Peregrinorum maxime ſuſceptionum cura ſollicite exhibeatur; quia in ipſis magis Chriſtus ſuſcipitur: nam diuitum terror ipſe ſibi exigit honorem.

CLXXII. Coquina Abbatis, &

Hoſpitum ſuper ſe ſit; vt incertis horis ſuperuenientes Hoſpites, qui nunquam deſunt Monaſterio, non inquietentur Fratres. In quam Coquinam ad annum ingrediantur duo Fratres, qui ipſum officium bene impleant. Quibus, vt indigent, ſolacia miniſtrentur, vt abſque murmuratione ſeruiant: Et iterum, quando occupationem minorem habent, exeant, vbi eis imperatur, in opera. Et non ſolum in ipſis, ſed & in omnibus officijs Monaſterij iſta ſit conſideratio, vt quando indigent, ſolacia accommodentur eis; & iterum quando vacant, obediāt imperatis. Itē, & Cellam Hoſpitum habeat aſſignatam Frater, cuius animam timor Dei poſſidet; vbi ſint lecti ſtrati ſufficienter, & Domus Dei à ſapientibus, & ſapienter adminiſtretur. Hoſpitibus autem, cui non præcipitur, nullatenus ſocietur, neq; colloquatur. Sed ſi obuiauerit, aut viderit, ſalutatis humiliter, vt

diximus, & petita benedictione, pertranſeat dicens, ſibi non licere colloqui cum Hoſpite.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

CLXXIII. HOſpites] Petrus Diac. ex quo Bernardus, *Hoſpes*, inquit, *dictus eſt ab Oſtio, ore, & pede. Antiqui enim, quando recipiebant homines, ſtabant in Oſtio domus ſuæ, & ponebāt pedes hoſpitis ſuper pedes ſuos, & dabant eis pacem* (per oſculum) *& ſic eos recipiebant in domū ſuam: & ex tunc illicitum, & nefarium erat quicquā mali patrare in eo. Inde, vt ante diximus, deriuatum eſt, nomen hoſpitis*. Sic ille; lege etiam Lexicon Martinij.

Maximè domeſticis] Interponunt aliqui, *Tamen*.

Socientur in pace] Ideſt in oſculo pacis, vt ex verbis ſequentibus liquet; ſubiungit enim, *Quod pacis oſculum*.

Sedeat cum eis Prior] Ideſt Superior Monaſterij, vt alias notatum.

Legatur coram Hoſpite lex Diuina] Olim hìc Caſini coram Hoſpitibus legebantur exhortationes quædam, excerptæ ex libris Diu. Gregor. quæ in vetuſtiſſimis noſtris Codicibus adhuc extant. Codice 47.

Omnis ei exhibeatur humanitas] In hac Regulæ parte

parte ſtudioſiſſimè obſeruanda, quantum olim enituerit, quantum hodie eniteat Sacrum hoc Monaſterium Caſinenſe, teſtis eſt Orbis.

Præcipuus ſit dies] Alij, *Præcipuus ſit ille dies*. Intellige de Ieiunio, non Regulari, cuius obſeruatio ab arbitrio Abbatis pendet; ſed de Eccleſiaſtico.

Peregrinorum maximè ſuſceptionum cura ſollicitè exhibeatur] Vulgati legunt *Suſceptionis*. Quidam *Suſceptio omni cura*. Alij aliter. Nos promimus communem noſtrorum Lectionem, quæ videtur vſu recepta per ea ſecula. Capitular. Caroli Mag. lib. 1. cap. 75. *Competens, & venerabile videtur, vt hoſpites, peregrini, & pauperes ſuſceptiones regulares habeant*, & alibi. Anno Iubilei 1625. in hoc Sacro Cœnobio Peregrinorum ad ſeptuaginta duo millia ſuſcepta fuerunt. Anno verò 1650. ad quinquaginta tria millia: præter nobilium virorum, Religioſorumque multitudinem. Sed de hoc ad Chronicon Caſinenſe Lectorem remitto.

Superuenientes hoſpites] Pro, *ſuperuenientibus hoſpitibus*. Nam quod alij legunt, *Inquietent Fratres*, noſtri antiquiores legunt *Inquietentur*: & ſanè rectius.

Si

Si debeat Monachus Literas, vel aliquid ſuſcipere.

CAP. LIV.

CLXXIV. NVllatenus liceat Monacho, nec à parentibus ſuis, nec à quoquam hominum, nec ſibi inuicem Literas, Eulogias, vel quælibet munuſcula accipere, aut dare, ſine præcepto Abbatis. Quod ſi etiã à parentibus ſuis ei quidquam directũ fuerit, non præſumat ſuſcipere illud: niſi prius indicatum fuerit Abbati. Quod ſi iuſſerit ſuſcipi, in Abbatis ſit poteſtate, cui illud iubeat dari. Et non contriſtetur Frater, cui forte directum fuerat, vt non detur occaſio Diabolo. Qui autem aliter præſumpſerit, diſciplinæ Regulari ſubiaceat.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

IN titulo. *Literas, vel aliquid*] Sic legitur in epigraphe huius Capitis. Sed in Indice omnium capitum, præfixo toti Regulæ habetur ſic. *Vt non debeat Monachus Literas, vel Eulogias ſuſcipere.*

CLXXV. *Eulogias*] Ferè omnes Vulgati habent *Eulogia*. Sed in fœminino *Eulogias* omnino legendum: non tamen adiectiuè, ideſt *Literas Eulogias*, vt quidam volunt; ſed ſubſtantiuè, & diſiunctiuè: nempe, neque Literas, neque Eulogias. Sunt autem *Eulogiæ*, ex Græco, *Benedictiones*, *Nunciationes*, *Salutationes*. Sic Florentius Presbyter S. P. Benedicto infectum veneno panem, quaſi pro benedictione trãſmiſit 2. Dialog. cap. 8. Idcirco autem Salutationes vocantur Eulogiæ, ideſt Benedictiones, quia benedicendo ſalutare olim cõſueuerunt Chriſtiani, & Religioſi, dicendo *Benedicite*. Vult igitur textus, Monacho ſine licentia Abbatis non licere recipere, neque Literas, neque Eulogias. Italice, *Nè lettere, nè ambaſciate, ò ſaluti*. Quæ interpretatio lucem accipiet ex manuſcripto Codice 47. noſtræ Caſinenſis Bibliothecæ, vbi ab annis prope 300. inter caſus reſeruatos Priori, tertium reperio ſic notatũ *Item, quod nullus mittat Literam, vel ambaſciatam extra Monaſterium: nec ab aliquo ea recipiat ſine licentia*. Quo præcepto hunc Regulæ textum indicari,

dicari, & cònſequenter explicari, quis dubitet? Præcepta enim Abbatis ſecundum Regulam fieri debent: non vltra Regulam.

Præterea *Eulogiæ* vocabantur parua munuſcula, quæ à Presbyteris afferebantur Epiſcopo. Itē panis benedictus, qui dabatur Catechumenis (qui non participabant de Euchariſtica menſa) vel etiam Baptizatis, qui ad Communionem nō eſſent parati in ſimbolum fraternæ Charitatis. D. Bernard. epiſt. 11. *Occupatis ſupernis eulogijs*, ideſt benedictionibus. Gregor. Turon. *Chriſtianis fidelibus eulogias obtuliſſe*, ideſt, panes benedictos. Caſal. cap. 21. & 36. Vide etiam Rhodiginum lib. 11. cap. 25. Ioan. Stefan. Durant. de Ritibus Eccleſiæ lib. 2. cap. 58. Gratian. in *Can. non ſemel 18. quæſt. 2.* Paulinum Nolanum epiſt. 1. ad Seuerum, & epiſtol. ad Alipium, quæ eſt 35. inter Epiſtolas Auguſt. Hæftenum hìc, & Martinium in Lexico. Capitular. Aquisgrani cap. 68. Codex Ioannis, quem ſequitur Bernardus, *Eulogias* interpretatur *Munera non adeò parua. Munuſcula* verò de quibus ſubiungit textus, eſſe *paruiſsimi pretij Xeniola*. Sed noſtræ expoſitioni omninò ſtandum. Sumpſit autèm hoc S. Benedictus ex Baſilio, & Auguſtino.

Dc

De Veſtiarijs,& Calciarijs Fratrum.

CAP. LV.

CLXXVI. VEſtimẽta Fratribus ſecundum locorũ qualitatem, vbi habitant, vel aerum temperiem,dentur: quia in frigidis Regionibus amplius indigetur, in calidis vero minus. Hæc ergo conſideratio penes Abbatem eſt. Nos tamen mediocribus locis ſufficere credimus Monachis per ſingulos, Cucullam, & Tunicam. Cucullam in hieme villoſam, in æſtate puram, aut vetuſtam; & ſcapulare propter opera. Indumenta pedum Pedules,& Caligas. De quarum rerum omnium colore, aut groſſitudine non cauſentur Monachi; ſed quales inueniri poſſunt in Prouincia, qua degunt, aut quod vilius comparari poſſit.

Abbas autẽ de menſura prouideat, vt non ſint curta ipſa veſtimenta vtẽ-

tibus ea, ſed menſurata. Accipientes noua, vetera ſemper reddant in præsẽti, reponenda in veſtiario propter pauperes. Sufficit enim Monacho duas Tunicas, & duas Cucullas habere propter noctes, & propter lauare ipſas res. Iam, quod ſupra fuerit, ſuperfluum, amputari debet. Et pedules, & quodcumque vetus reddant, dum accipiunt nouum. Femoralia hi, qui in via diriguntur, de veſtiario accipiant, quæ, reuertentes, lota, ibi reſtituant. Et Cucullæ, & Tunicæ ſint aliquanto à ſolito, quas habent, modice meliores, quas exeuntes in via accipiant de veſtiario, & reuertentes reſtituant.

CLXXVII. Stramenta autem Lectorum ſufficiant Matta, Sagũ, & Læna, & Capitale. Quæ tamen Lecta frequenter ab Abbate ſcrutinanda ſunt propter opus peculiare, ne inueniatur. Et ſi cui inuentum fuerit quod ab Abbate non accepit, grauiſſimæ diſcipli-

næ

næ ſubiaceat. Et vt hoc vitium pecu-
liare radicitus amputetur, dentur ab
Abbate omnia, quæ ſunt neceſſaria,
ideſt, Cuculla, Tunica, Pedules, Cali-
gæ, Bracile, Cultellus, Graphiū, Acus,
Mappula, Tabula; vt omnis auferatur
neceſſitatis excuſatio. A quo tamē Ab-
bate ſemper conſideretur illa ſenten-
tia Actuum Apoſtolorum; Quia da- *Act. 4.*
batur ſingulis, prout cuique opus erat.
Ita ergo, & Abbas conſideret infirmi-
tates indigentium, non malam volun-
tatem inuidentium. In omnibus ta-
men iudicijs ſuis Dei retributionem
cogitet.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

CLXXIII. Titulum huius Capitis communiter ſic proponunt Moderni *De Veſtimentis, & Calceamentis Fratrum.* Forte credentes, *Veſtiaria, & Calciaria* pertinere, non ad res ipſas, ſed ad loca, in quibus veſtes, & calcei conſeruantur. Cæterùm *Veſtiarium, & Calcearium* etiam prò Veſtibus, & Calceis ipſis vſurpauit Vi-

Vlpianus apud Hæſtenum in notis. Vndè vſque hodie *Veſtiarium* Italicè apud multos regulares ſignificat id, quod in veſtes illis tribuitur. Quod ſi *Veſtiarium*, *& Calcearium* pro locis, vbi veſtes, & calcei reponuntur omninò velis intelligi, quid prohibet S.Patrem de ipſis locis inſcripſiſſe caput iſtud? Quocirca Codex Ioannis *Veſtiarium*, inquit, *eſt vbi veſtimenta ponuntur*; Et tamen titulũ poſuit de Veſtiarijs,&c.etiam ſi in corpore textus diſponatur de veſtibus, &c. Infra cap.59.*Veſtiarium S. Pater intelligit locum reponendis veſtibus deſtinatum*.

Penes Abbatem eſt] *Sit*, legunt alij.

Sufficere credimus Monachis per ſingulos] Vacat in multis illud, *Monachis*.

Comparari poſsit] *Poteſt*. *alij*.

CLXXIX. *De quarum rerum omnium colore*] Ex hoc Regulæ loco arguunt aliqui, Benedictinos non omnes vno, eodemque colore veſtitos inceſſiſſe in eodem Monaſterio,ſed diuerſis,ſecũdum quod vilius emere poterant; dumodo honeſti colores eſſent, brunus, ſubcinericius,ſubniger,ſubrufus,& ex natiuo vellerum colore; minimè namq; ipſis colores aduentitij licebant.Franc. Biuarius ad Lucium Dextrum anno 419. apud Hæſten. pag. 507.

Bernardus verò noſter prædicta verba textus interpretatur, non quòd S. Pater varietatem colorum permiſerit; ſed de qualitate colorum non ſcrupuloſè,vel ambitioſè quærenda. *De quarum*, inquit, *rerum omnium colore*, *Cucullæ*, *Tunicæ*,*Scapularis*,*& pedum indumentorum colore*, *ſic intelligo*,

vide-

videlicet ; Si non eſt ſplendidus, aut ſpecioſus, aut ſi eſt multùm vilis, humilis, & abiectus, non cauſentur, ſcilicet cauſam quærentes, non conquerantur Monachi. Hæc ille.

CLXXX. Et ſanè cum S. Pater Benedictus nigro, ſaltem natiuo, vellerum colore vſus fuerit; eodē conueſtitos inceſſiſſe primos eius alumnos, dubitandum non videtur. Dixi autèm *Saltem natiuo vellerum colore*: non enim contenderō, An color veſtium B. Benedicti fuerit niger ex tinctura, vel naturalis? De quo Caramuel num. 1780.

Quod autèm S. Pater nigrum habitum induerit, vt omittam apparitiones, & vetuſtiſſimas picturas, id concorditer aſſerunt noſtri Scriptores. Bernardus hìc *Beatus*, inquit, *Benedictus à quibuſdam antiquis Doctoribus Caſinenſibus nigris vſus veſtibus traditur in ſcriptis fuiſſe*. Nicolaus in expoſitione huius capitis. *In antiqua* inquit, *Chronica Petri Diaconi ſcriptum à nobis, & noſtris maioribus reperitur; quomodò in Monaſterio Floriacenſi repertus eſt* Caputius Cucullæ *B. Benedicti, ex nigris villis contextus*, & infra. *Legimus in vita Caroli Magni* (forte Manni) *Caſinenſis Cœnobij Monachi, quòd cum Carolus Magnus in territorio Vituricenſi in loco, qui Macyatus appellatur conſtruxiſſet Monaſterium in honorem B. Martini, illudque ſubmittens Caſinenſi Cœnobio, poſuit ibi Caputium P. noſtri Benedicti, ex villis nigris contextum, lōgitudine trium vnciarum*.

Quapropter iure Petrus Diaconus, interrogatus à Ciſtellenſi Monacho coram Lothario Impera-

peratore, Cur Caſinates ſemper nigra veſtiméta induerent; Reſpondit, *quia P. Benedictus talibus vſus eſt*. Chronic.Caſ.lib.4.cap.114.

Bleſenſis etiã epiſt.97.ad Abbaté de Eueshām. *In Monte Caſino ſchema monaſticum, quo B. Benedictus eſt vſus, vſque hodie, ſicut dicitur, perſeuerat. Quis audeat tanti Patris habitum blaſphemare in filys?* Filij autem atro vtebantur: igitur & Pater.

Petrus item venerabilis Abbas Cluniacenſis lib. 4. epiſt.17, Longam de hoc texuit diſceptationem cum Ciſtercienſibus, oſtendens, quod aſſerimus. Sed & illud me non leuiter vrget, Sacri nimirum huius Caſinenſis Cœnobij, in quo S. Legiſlator, & vixit, & obijt, nunquam interrupta traditio; Circa quam ſic libet diſcurrere. Primos illos ſacræ huius Domus Alumnos eo veſtium colore vti conſueuiſſe credendum eſt, quem Sãcti Parentis vſu conſecratum videbant: Atqui ſemper atrum colorem retinuerunt: Igitur id eos hæreditaria, & per manus tradita ſucceſſione à primo Parente accepiſſe, inficiari nullus poteſt.

CLXXXI. Porro Caſinates Monachos atri coloris retinentiſſimos fuiſſe, luculenter, præter alia, oſtendit contentio ipſorum cum Cæleſtino Quinto, cuius ſeriem, non pigeat hìc referre ex oculatis teſtibus.

CLXXXII. Riccardus enim cap.21.in expoſ. Regulæ manuſcripta Caſini ſic habet, *Anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo quarto, menſe Octubri, Indict.7. Dominus Cæleſtinus Papa Quintus, qui antea vocatus fuit Frater Petrus de Murrone,*

ne, homo magnæ ſanctitatis, venit ad Monaſterium Caſinenſe; & volens dictum Monaſterium vnire Religioni ſuæ, induxit Monachos pro maiori parte, vt reciperent ſuæ Religionis habitum, qui habitus erat coloris Camellini, viliſsimi panni; & miſit de Monachis ſuis quaſi quinquaginta. Primò fueramus nigri; & mutauit nomen Decani, qui poſt ipſorum aduentum vocatus eſt Prior. Adueniente proximo feſto B. Luciæ renunciauit Papatui in Ciuitate Neapoli, cui ſucceſsit Dominus Bonifacius, qui priùs nominatus fuit Dominus Benedictus Gaietanus, homo maximæ ſcientiæ, & probitatis, de Anania, & reuocauit omnia facta per dictum Cæleſtinum, exceptis Cardinalibus, quos ipſe Cæleſtinus fecerat. Et ego fui vnus de reuocatis, qui fueram effectus Abbas Monaſterij S. Iuſtinæ de Padua. Ex quibus apparet Riccardum fuiſſe ex illis, qui habitum mutauerant.

Atteſtatur Riccardo pęnè eiſdem verbis Nicolaus in Commentario Regulæ; fuit autem Nicolaus ex ijs, qui nè nigrum amictum dimitterēt, è Caſinenſi potius Monaſterio abire maluerunt, qui denique abrogatis actis Cæleſtini ad Monaſterium rediens, nō ſolum cum Caſinenſibus, ſed & cum aliquibus Murronenſibus, qui Caſini remanſerant, nigrum habitum reſumpſit.

CLXXXIII. Quare autem nigrum amictum elegerit Sanctiſſimus Legislator, Reſpondet Bernardus noſter. *Nos tenemus, quòd crucifixo Domino, & mortuo, quidam Apoſtoli nigra ſibi operimenta fecerunt (quæ vſque hodie à viduis, & Chriſtianis amicis poſt obitum virorum, & charorum fiunt, & lugubres appellantur in his Italiæ partibus) quem colorem*

lorem in ſuo habitu conſeruaſſe feruntur Apoſtoli in memoriam mortis Chriſti. Græci etiam Monachi nigro vtuntur colore. Sic Bernard. Ad imitationem igitur Apoſtolorum, & veterum Monachorum, & ad proprij nominis Etymologiam, officio complendam, nigrum colorem elegit. Nam Monachus, vt ait Nicolaus, ducitur à *Monos*, & *Achos*, quod latinè refert *Vnus*, & *triſtis*. Sedeat igitur ſolus, & triſtis, & officio ſuo vacet, non ſolùm mẽte, ſed etiam veſte lugubri, vt, mundo mortuus, Chriſto viuere omnibus videatur. Hinc Monachi nigri ſimpliciter pro Benedictinis intelligũtur apud Cæſarium ſæpè, & Thomam Cantipratenſem, & in Iure Canonico. Aſſo lib. 2. hiſt. Sancti Berchorij de Monachis Benedictinis loquens ait, *Monachos vmbraticum geſtantes habitum*. Sed tandem è digreſſione in viam reducamur.

CLXXXIV. *Quod vilius comparari poteſt*] Vilius dixit comparatiuè, inquiunt noſtri, non viliſſimum: nè veſtis, nimia abiectione, notabilis ſit; & vt inanis gloria euitetur. *Vndè* (ſubiungit Nicolaus) *Si Monachus reciperet integram Cucullam de Veſtiario, & ipſe cauſam humilitatis prætendens, pezam vnam turpem, & ſordidam ſuperſueret, vel deformem, peccaret contra octauum humilitatis gradum, qui prohibet, Monachum aliud facere, quàm communis Monaſterij Regula, & maiorum cohortantur exempla.*

Abbas autèm de menſura prouideat, vt non ſint curta] *Nimis enim curtum*, inquit Bernardus, *eſt ridiculoſum. Nimis longum eſt ſuperfluum, & damnoſum. Nimis curtum appello veſtimentum, quod cir-*

ca talum non attingit protenſum. Nimis longum, quod defluit per humum. Ex Bernardo.

Vtentibus ea] *Vtentibus eis*, correxerunt Moderni. Sed perperàm. Nam *Vtor* etiam cum accuſatiuo rectè conſtrui, norunt pueri.

Quod ſupra fuerit, ſuperfluum, amputari debet] Recẽtiores etiam noſtri legunt *Quod ſuperfluum eſt, amputari debet*. Senſus eſt, quòd ſupra fuerit, vt ſuperfluum, amputari debet. Nam non raro S. P. amittit particulam *Vt*, quod alibi obſeruatum eſt.

Vetus] Intellige de eo, quod portari amplius non poteſt. Quod autem ſupra dicit *Vetuſtam Cucullam* intellige, quæ non ſit adeò conſumpta, & attrita, vt decenter portari amplius nequeat.

Quæ reuertentes] *Quæ*, ſcilicet *femoralia*.

CLXXXV. *Aliquanto à ſolito, quas habent modicè meliores*] Sic legitur apud omnes noſtros. Cæteri verò.

Aliquanto ijs, quas habere ſoliti ſunt, modicè meliores] Sed in phraſi, quam damus Græciſmus, & Italiſmus notari debet, hoc ſenſu; *Cucullæ, & Tunicæ ſint aliquanto modicè meliores ijs, quas habent à ſolito*. Græci enim omittunt pronomen, vt alias notatum. Italicè *Le Cocolle, e le Tuniche ſiano vn alquãto poco migliori di quelle, che ſogliono hauere, ò migliori del ſolito*. Sed, quicquid ſit de phraſi, certè S. Legislatoris hìc obſeruanda venit vrbana prouidentia. Iubet enim, Monachos, cũ è Monaſterio exeunt, procedere debere cum veſtibus melioribus, adeò monaſtici decoris tenax fuit, & ab hypocriſi alienus. Vndè Codex Ioãnis.

Ideo dixit meliores B. Benedictus in via veſtes portari, nè hypocrita videatur.

CLXXXVI. *Propter opus peculiare*] Ideſt nè ibi aliquid occultè repoſitum ſit, tanquam propriũ,& ſine permiſſione Abbatis, videlicet, Mappula, Cultellus, Tabulæ, Cappa, numi,& ſimilia. Opus peculiare in hoc ſenſu reperitur apud Caſſian. lib.4.cap.14.

Non erit autèm, nec otioſum, vt reor, nec ingratum legentibus, Monaſticarum veſtium vocabula, de quibus in textu, breuiter ex noſtris expoſitoribus, & ex alijs illuſtrare; nè in æquiuoco nominum hæreamus apud varios auctores.

Cucullam in hoc Caſinenſi Monaſterio, inquit Bernardus Abbas,& Cardinalis, *appellamus habitum cum Caputio, ex omni parte clauſum, longiſque manicis manicatum; quod Ciſtercienſes ſequuntur in vocabulo, et figura*. Sic ille. Cluniacenſes verò,& Vltramontani, ex eodem Bernardo, infra citando, Cucullæ nomine intelligebãt ſcapulare, quod teſtatur etiam Smaragdus. *Quod verò ille* (Benedictus) *dixit Scapulare propter opera, hoc nos modo dicimus Cucullam*. Et quidem antiquis operimentum Capitis *Cucullus*, *Cucullium*, vel *Cuculla* vocabatur. Szomenus lib.5. cap.15. *Caput* inquit, *integumento, quod Cucullam appellare ſolent, operiebant*. Et Trebellius in Claudio *Bardocucullum vnum Cucullia villoſa duo*. Sic legit Meurſius, prò *Cucutia*.

Quam verò Caſinenſes,& Ciſtercienſes vocabant *Cucullã*, Cluniacenſes appellabant *Floccum*, fortè, quia fieret ex lana, non attonſa, ſed villo-

ſa,

ſa, & floccos habente. A Flocco autem, litera immutata, apud Francos dictus eſt *Froccus* (ſæpè enim duæ iſtæ liquidæ commutantur) & à *Frocco*, *Roccus*, & *Rocchettus*.

CLXXXVII. Quare Cuculla, & Floccus aliquando pro eodẽ accipiũtur apud Auctores. Sic Andreas Abbas Caſinẽſis in Sinodo anno 1372. Codice 47. *Cuculla cum manicis longis, quæ alibi in iure Floccus nuncupatur*. Et Ciſtercienſes initio ſuæ inſtitutionis profitentur ſe reieciſſe Froccos, & Pelliceas. Monaſticon. Anglic.pag.*699*. Aliquando tamen prò diuerſis, præſertim apud Gallos, & alios vltra montes. Clemens Quintus cap. ne in agro. In Concil. Vienn. Aimoinus de geſtis Epiſcoporum, & Abbatum Turonenſium in Abbate 19. *Et inſuper ordinauit, quòd Floccum cũ Cuculla portaremus, ſicut modò deferimus*. Matthæus Pariſius in vitis Abbatum S. Albani. *Tàm formam Cuculli, & Frocci, quàm colorem tranſmutàuit primitiuum*. Ingulph. Saxo in hiſt. Crotland. *Induit omni anno totum Conuentum cum ſecta ſua de Tunicis: omni altero anno de Cucullis: & omni tertio anno de Froccis*. Vide Spelmanum, Martinium, Voſſium, & alios in Lexicis. Turrecrematam hìc, & Hæftenum.

Alio etiam nomine Cuculla appellata eſt Caſula, ſeù Caſulla, inquit Theodemar, ideſt parua Caſa ex Rabano, eo quod totum corpus tegebat, quemadmodum Planeta etiam Sacerdotalis. Hæc enim non ex anteriori, & poſteriori tantùm parte olim pendebat, qualis modò in vſu eſt: ſed, vndi-

que corpus circumambiens, defluebat; *vt* proinde limbos eius laterales ſuper brachia Sacerdotis ſubleuari neceſſe eſſet, ad ſacras cæremonias expeditè peragendas. Cuius ſubleuationis perſeuerat adhuc in Eccleſia aliquod veſtigium in eleuatione Sacrificij; licet vix eius modo ſit neceſſitas. Ex hac autem amplitudine Caſulæ appellata eſt *Planeta*, ideſt, *errabunda*, ex Honorio Auguſtodun.

Villoſam Cucullam, ait textus, ideſt, vel de panno villoſo; ita quod vellus ouis ſit interius: vel de panno forrato, ſeù ſuffulto, ait Turrecremata. Quas veſtes Græci vocant Heteromalla, hoc eſt, altera parte villoſa. Vel villoſam, ideſt, de panno non tonſo, ſed groſſo, & nouo, villis nondum conſumptis. Puram verò, hoc eſt, ſine vellere, aut vetuſtam: frequenti enim vſu vellus de veſte cadit. Bernard. Villoſam etiam Cucullā appellatam aliquando *Melotem*, à villis reperies. Vide Martinium, & Hæſten.

CLXXXVIII. *Tunicam* (ait idem Bernard.) *appellamus illam, quam ſub Cuculla portamus, corpus vtrinque tegentem; ſed Caputio carentem, cum manicis mediocriter, & menſuratè longis*. Dicta autem eſt Tunica, vel à tuendo, ex Varr. lib. 4. vel quia in motu incedentis tonum, ideſt ſonum facit ex Papia, & Iſidoro. Porrò apud veteres duo erant Tunicarum genera. Quædam cum manicis, quibus brachia tegebantur vſque ad manus; vndè *Manicatæ*, *Manuleata*, & à Græcis *Cheridotæ* vocabantur. Hæ Poenis, & Phrygibus in vſu erant,

& fœ-

& fœminis Romanis. Viris verò, ijs vti Romæ,& in omni Latio indecorum erat. Hinc apud Virg. Æneid.9. vitio datur Phrygibus,quod manicatas tunicas haberẽt.*Et Tunicæ manicas,& habẽt redimicula mitræ.* Militaribus enim viris ineptæ videbãtur,& indecoræ(Diuerſa tamẽ eſt militia Chriſtiana). Aliæ tegebant lacertos, non tamen vſq; ad cubitum;ſed partem tantùm lacertorum, humeris propiorem, vt ex veterum ſtatuis cognoſci poteſt. Et huiuſmodi Tunicæ vocatæ ſunt *Colobia*, eo quod mutilæ forent, vel etiam *Exomidæ*. Vide Voſſium,& Grapaldum.

CLXXXIX. *Scapulare* (Græcè *Analabus*, & *Ependytes*) *dictum eſt à Scapulis; eo quod ſcapulas, & caput tegit*, inquit Theodemarus in Epiſtola ad Carolum. *Et vſque hodie*, inquit Bernardus, *tàm Caſinenſes, quàm Ciſtercienſes habitum Caputiatum à Scapulis, ex vtraque parte dependentem, Scapulare appellant. Sed Caſinenſes idem Scapulare ſub bracchijs circa medium corporis, quaſi ad locum cingulis ſutum, quaſi & ad mẽſuram medij palmi de conſuetudine claudunt. Quod Scapulare quando operantur,nè opus impediat, deſuper cingunt,ſine quo etiam Scapulari, vel ſine Cuculla manicata, non ſe ſacris veſtibus ad explenda Diuina Officia induere debent. Illud inſuper Scapulare benedicitur, quando Monachus profitetur. Attamen Monachi Cluniacẽſes, & Vltramontani Scapulare illud Cucullam appellant, & deſuper veſtem manicatam ſine Caputio gerunt, Quam veſtem Floccum vulgariter dicunt. Puto autem,quòd Ciſtercienſes ad fontem recurrerũt*

Caſi-

Caſinenſem, & ab illo tàm vocabulum, quàm figurã vtriuſq; traxerunt, Scapularis videlicet, & Cuculla. Sic Bernardus. Ex quibus liquet, Scapulare olim non defluxiſſe vltra medium corporis, vt etiam apparet ex vetuſtiſſima pictura, quam Codici Abbatis Ioannis præfixam reperio. Vide Caſſianum lib. 1. c. 6. & Iacobum Goar in Rituali Græcorum, pag. 519.

Caramuel, *Scapulare*, inquit, *Tunicæ ſuperpoſitum, nè illa macularetur*, in Nomencl. Sed potius ad ſcapulas, & caput tegendum, ex antiquo ritu Monachorum, & ruſticorum.

CXC. Quidam apud Magrũ, Scapulare appellari etiam *Trogulum*, opinati ſunt cum enim in vita S. Mauri legiſſent, *Semper aſperrimò à ſcapulis vſque ad renes induebatur Trogulo*; coniecturam fecerunt, *Troguli* nomine ibi intelligi Scapulare. Ipſe verò Magrus vult eſſe veſtem monachalem ex Papia, qui, *Trogulus* inquit *eſt Cuculla, veſtis monachalis*. Verum ex ipſo verborum ſenſu liquet oppoſitum. Nam Trogulus ibi deſcribitur tanquam indumentum ſpecialis mortificationis, quam B. Maurus in corpus ſuum exercebat, & ideo dicit *Aſperrimò*. Scapulare autem erat vſualis, & communis veſtis Monachorum, quam ſupra Tunicam ex Regula induebant, & non ſub Tunica, vt ait Fauſtus loc. cit. Trogulus igitur videtur potius ad interius indumẽtum pertinere, & genus Cilicij, aut ſimile quid fuiſſe, non autem veſtem communem. In vita S. Gundulphi lib. 1. cap. 2. *Aſperrimo ex pilis reinduebatur trogulo.*

& lib. 2.

& lib.2.cap. 1. Sed aſperrimo cilicij trogulo, nuditatem corporeæ fragilitatis velarent: vide Voſſium, & Bollandum.

Pedules] Variant Auctores in expoſitione huius vocabuli. Vltramontani intelligunt id, quod Itali appellant *Pedali*, & ex lana fiebant: Aliqui ex noſtris intelligi malunt *Calceos, le ſcarpe* ex corio factos.

CXCI. *Caligæ*] Noſtri interpretãtur indumentum tibiarum. Italicè *Le Calzette*. Vltramontani verò *Calceos*, qui tunc erant ſimplices ſoleæ ſine ſuperiori corio, quales nunc apud Capuccinos, quos Baſilius vocat *Sandalia*, Hæſten. Quare ad ſenſum exterorum, Monachi ex Regula non habebant tibialia; ſed nudis tibijs incedebant, ſolis calceis exterius. & pedulibus interius ad pedũ operimentum contenti. Noſtri verò volunt, Monachis licuiſſe tibialia pro cruribus, & pedules prò pedibus. Certè ſi linguæ Romanæ puritatẽ ſequaris, Caliga eſt indumentum pedum, & propriè calciamentum militare, vt ait Dio lib. 47. ſed inclinata latinitate vulgus Caligas pro tibialibus vſurpauit. Voſſius.

CXCII. *Femoralia*, inquit Bernardus, *Bracas appellamus. Iis Vltramontani Monachi vtuntur indifferenter, magnam hoc vſu munditiam æſtimantes. Caſinenſes autem non ijs vtuntur, præterquam in via directi. Ciſtercienſes etiam non vtuntur eiſdem. Vſum autem non reprobo: ſed puto, quòd tempore huius inſtitutionis rarus erat vſus bracarum.* Sic ille, & Riccard. *Patet ex litera iſta, quòd olim non vtebantur bracis, niſi in via directi: ſed modò omnes indifferen-*

ferenter vtuntur. In Chron. Caſinen.lib.1.cap.7. refertur Carolo-Mannum Monachum à Latronibus, femoralibus fuiſſe ſpoliatum. Forte ijs vtebatur, quia extra Monaſterium erat in paſcendis ouibus. In Congregatione noſtra Caſinenſi vſq; ad noſtram ætatem vidimus ſenes, non vtentes femoralibus intra Monaſterium: ſed interiorem veſtem, vltra genua defluentem, ipſis genibus alligabant. Sed & priſcos tùm Græcos, tùm Romanos neque tibialibus, neque femoralibus vſos, obſeruant eruditi apud Homerum, & Virgilium. Galli verò Bracis, ſeù Braccis vtebantur: vnde ab vſu Braccarum *Gallia Braccata* dicta fuit Gallia Narbonenſis, quæ nunc *Prouincia*, eo quod prima è tranſalpina facta eſt Prouincia, nominatur. Sicut reliqua tranſalpes Gallia *Comata*, & Ciſalpina *Togata*. Batavi etiam, Vangiones, & Sarmatæ laxis braccis vtebantur, ex Lucano.

Minus verò vetuſtis tēporibus Romani paulo poſt Auguſti tempora vſum Braccarum, & tibialium induxerunt. Vide Martinium, & Voſſium.

CXCIII. *Bracile* internum ſubligaculum femoris. Italicè *Calzonetti, Mutande*. Diminutiuum à Bracis. Erat enim *Bracile* breue, & interius ſuccinctorium, quo vtebantur ad honeſtatem, & munditiem.

CXCIV. *Sagum* Hæſtenus vult eſſe operimentum lecti: nam Monachi, inquit, cubabant ſuper Mattam. Sed ex noſtris Sagum eſt Saccus, paleis plenus, & hoc vulgari huius Regni concordat, ait Bernardus Cardinalis. Papias Sagum interpretatur Saccum. Et in vita S.Placidi Sagum

pro

pro Sacco accepit D. Gregorius: nam quod Gordianus dixit *in Sago*, Gregorius *in Sacco*. De Sago autem militari nihil ad præſens. Lege Martiniũ, & alios in Lexicis.

CXCV. *Matta, vel eſt Filtrum, ſecundum Cluniacenſes*, inquit Bernardus, *vel aliquid, quod loco Culcitræ habetur: vnde vſque hodie illud, quod ponitur ſuper paleas, vulgo dicitur Mataratium*. Sic ille. Riccardus verò *Mattam* intelligit Sclauinã. Alij Stoream ex iuncis, & Straminibus compa-ctam, ſuper qua dormitur. Græcè Pſiathium. Certè quod Gordianus in vita S. Placidi cap. 10. appellauit Mattam Gregorius in 2. Dialog. vertit Pſiathium. Perottus, *Culcitra*, inquit, *generali nomine vocari poſſunt omne ſtragulum, in quo aliquid quieſcendi gratia inculcatum ſit. Mattæ verò duntaxat, in quibus ſtuppa, vel fænum, vel lanæ rudiores, aut aliquid ſimile ſit inſertum, fiuntque interdum ex cannabo, aut ſcirpo. Hinc Ouidius, Scirpeam, Mattã dixit*. Smaragdus apud Cerdam *Lectus eorum, aut nuda humus, aut certè ſtorea, ideſt Matta ſuper humum*. Sic etiã Gregor. Turon. Papias verò *Matta*, ideſt *Tapetum*. Cæſarius lib. 7. cap. 52. *Sternite Mattam*.

CXCVI. *Læna* eſt operimentum laneum villoſum, ait Nicolaus noſter. *Sclauinam* intelligit Bernardus, *quas*, inquit, *venientes de Syria deferunt Peregrini*. Apud Latiniores *Læna* eſt veſtis lanea, habitus duplicis, vel toga, qua Flamines in ſacrificijs vtebantur. Seruius in illud Virgil. 4. Tyrioque ardebat murice lœna. Lænates verò ap-

 pella-

pellabantur quibus Lœna frequens in vſu erat. Feſtus, Martinius.

Capitale ſuo ſe nomine prodit. Ceruical, plumacium, capiti ſupponendum paleis, vel pluma, aut lana plenum. Bernardus, Nicolaus,& alij noſtri. Cæſarius lib. 4. mirac. cap. 26. *Capitale eius vertit.*

CXCVII. *Mappula* emunctorium narium, & ſudoris, quod ad latus portare conſueuerunt. Nicolaus. Quam conſuetudinem vſque hodie retinent ſenes noſtri. Olim enim, femoralibus nō vtentes, Mappulam, Clauem, Cultellum à lateribus pendulos portabant. Eſt autem Mappa (ſi credimus Quintiliano lib. 1. cap. 5.) vocabulum non latinum, ſed Punicum; eoque ſignificatur, non quidem linteum, quod menſæ inſternitur, vt quidam volunt; Hoc enim eſt Mantile: ſed potius id, quo, qui menſæ adſident manus, & os tergunt, quodque ſinguli conuiuæ ſecum olim adferebant ad cœnam, & colligitur ex Martiali epigr. 29. lib. 2.

Attulerat Mappam nemo, dū furta timentur.
Mantile è menſa ſurripit Hermogenes.

CXCVIII. Sed cur manutergium menſæ nō obtinuit apud Rom. propriū nomen, & à Poenis illud acceptum? Suſpicatur Voſſius, veteres Romanos menſam quidem ſtrauiſſe Mantili, cuius bona pars de menſa dependeret ad manus tergendas: ſed morem illum, vt quiſque mappam propriam haberet, imò ad conuiuium deferret, originem habuiſſe à Poenis, à quibus deinde, &

mos

Digitized by Google

mos,& vocabulum ad Romanos. Quoniam verò Romani olim in menſa manus tergebant mantili, vt diximus, hinc illud linteum, quod menſæ inſternebatur, appellatum Mantile, quaſi manutela.

CXCIX. Ad hoc Iſidor. lib. 19. cap. 26. *Mãtilia nunc pro operiendis menſis ſunt, quæ olim, vt nomen indicat, tergendis manibus fuere*. Vide Voſſiũ, & Salmaſium.

Graphium, ſtilus ferreus, quo ſcribebatur. Sic dictus *à Grapho*, quod Græcis eſt, *Scribo*. Erat autem Graphium, qua parte ſcribebatur, acutum; altera obtuſum, vel latum, qua caracteres in ceræ ſcripti, obliterari poſſent, aut radi. Vnde *vertere ſtilum* apud Latinos idem erat, ac corrigere, retractare, & mutare ſententiam. Vide eruditiſſimum Maſcardum Artis Hiſtoricæ tract. 4. partic. prima.

Tabulæ, Pugillares, in quibus ſcribebatur. Erãt autèm tabellæ, cera illitæ, quarum vſum ante Troiana tempora extitiſſe ſcribit Plinius lib. 13. ex Homero.

Cur autèm S. Pater Graphij potius, & Tabularum: non verò cartæ, & attramenti meminerit, quæ ante ætatem S. P. Benedicti in vſu iam erant? nam S. Euangeliſta Ioannes *Plura*, inquit, *habens vobis ſcribere, nolui per chartam, & atramentum*.

Reſpondet Hæſtenus primo quamlibet materiam, in qua ſcribitur, Tabularum, & quoduis inſtrumentum, quo ſcribitur, Graphij nomine deſignari. Quod videtur ſũpſiſſe ex Caſſiano lib. 4. cap. 13. Hinc Carthuſiani ſcriptoribus Graphiũ,

& tabulas aſſignant, & vſque hodie,nuncios, deferentes Epiſtolas, Tabellarios vocamus. Secundo etiam poſt chartæ inuentionem perſeueraſſe aliquouſque veterem ſcribendi morem, ſiuè in tabulis, ſiuè in arboris corticibus. Ceratis verò tabulis ideo nonnunquam vtebantur, quòd ea ſcriptura eſſet delebilis, & facilè aboleri poſſet, quod perperam exaratum; atque adeò opus non eſſet plures conſumere chartas. Plura apud Hæfstenum. Et ſanè parſimoniæ religioſæ id videbatur conuenientius. Vnde Cicero Trebatio. *Nã, quod in Palimpſeſto, laudo equidem parſimoniam,&c.* Palimpſeſtus autèm eſt membrana deletitia cerata, vel gypſata,quæ ſæpè detergi,& radi poteſt, vt in ea iterum ſcribatur. Martin.

Obſeruandum denique, in hoc capite nihil diſponi de interiori *Tunicella*. An quia tunc non erat in vſu apud Monachos; ſicut neque *induſiũ* apud Priſcos? de quo vide Martinium. Certè S.Pater prò interiori ſubucula induebatur Cilicio,quem imitati ſunt Maurus,& Placidus. Neq; de *Petaſo* quicquam prò itinerantibus ſaltem. Fortè non erat vſitatus per ea tempora apud Monachos.

De

De Menſa Abbatis.

CAP. LVI.

CC. MEnſa Abbatis cum Hoſpitibus, & Peregrinis ſit ſemper. Quotiens tamen minus ſunt Hoſpites, quos vult de Fratribus vocare, in ipſius ſit poteſtate. Seniores tamen vnum, aut duos ſemper cum Fratribus dimittendum procuret, propter diſciplinam.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

CVm Hoſpitibus, & Peregrinis] *Hoſpites*, inquit Ruthardus, vel quicunque ſit, *ſunt de prope, ſeù de eadem regione. Peregrini de longe, ideſt de alia regione.*

Seniores] Vulgatæ habent *Seniorum*. Hìc autē nomine *Seniorum* intelligas non tantùm ordine, ſed etiam ætate ſenes, vt ex contextu colligitur.

Seniores tamen] Alij, *Autem.*

Dimittendum] Alij, *Dimittendos*.

De Artificibus Monaſterij.

CAP. LVII.

CCI. ARtifices, ſi ſunt in Monaſterio, cum omni humilitate faciãt ipſas artes, ſi permiſerit Abbas. Quod ſi aliquis ex eis extollitur pro ſcientia artis ſuæ, eo quod videatur aliquid conferre Monaſterio, hic talis erigatur ab ipſa arte, & denuo per eam non tranſeat; niſi forte humiliato ei iterum Abbas iubeat. Si quid vero ex operibus artificum venundandũ eſt, videant ipſi per quorum manus tranſigenda ſunt, ne aliquam fraudem Monaſterio facere præſumant. Memorentur ſemper Ananiæ, & Saphiræ; ne forte mortẽ, quam illi in corpore pertulerunt, hanc iſti, vel omnes, qui aliquam fraudem de rebus Monaſterij fecerint, in anima patiantur. In ipſis autem pretijs non ſubripiat auaritiæ ma-

malum, ſed ſemper aliquantulum vilius detur, quàm ab alijs ſecularibus dari poteſt, vt in omnibus glorificetur Deus.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

CCII. **H**Vmilitate] Addunt aliqui, *Et reuerentia*. Sed in noſtris deeſt.

Si permiſerit Abbas] *Si tamen iuſſerit Abbas*. Legunt plerique.

Erigatur] In editis eſt, *Euellatur*, vel *Eÿciatur*. Verùm, dum literam ſtudent corrigere, à ſenſu illius longe abeunt. Non vult textus, Artificem tumidum, & elatum euelli omninò, aut eijci ab arte, quaſi non amplius ad illam rediturum: ſed vult tantùm, ab illa ſuſpēdi ad tempus, donec humilietur. Cæterùm, quia forte, verbum *Suſpendatur*, malè ſonabat, vſurpauit ſynonymum, *Erigatur*, vtriuſque enim eadem eſt ſignificatio. *Erigi* namque paſſiuè, ſignificat etiam *Eleuari*, *Suſpendi*. Vnde ſicut, *Incumbere operi*, Italicè dicimus, *Impiegarſi all'opra*: ita, *Remoueri ab opere*, dicimus, *Eſſer leuato*, *eſſer ſoſpeſo dall'opra*. Aptè igitur textus dixit. *Hic talis erigatur ab arte: queſto tale ſia leuato, ſia ſoſpeſo dall'arte*.

Nè aliquam fraudem Monaſterio facere præſumant] Sic Codex Ioannis Abbatis, in quo tamen defi-

deficit, *Monaſterio*, & Bernardus. At impreſſi, *Præſumant Monachi facere. Præſumant inferre.*

Memorentur ſemper] Vacat, *Semper*, in editis.

CCIII. *Nè fortè mortem, quam illi in corpore pertulerunt, hanc iſti, &c. in anima patiantur*] Quæſtio eſt inter Patres, & Theologos; Vtrum Anania, & Saphira, præter mortem temporalem, dãnati etiam fuerint æterna? Affirmãtibus Baſilio, Beda, cum alijs. Negantibus Auguſtino, Petro Damiano, cum pleriſque. Opinatur autèm Hæftenus, S.P. Benedictum ſenſiſſe cum negantibus. ait enim *Ne mortem, quam illi in corpore pertulerunt*. Mihi tamen neutiquam id colligi hinc poſſe videtur. Sancti enim Patris intento ſatis erat exemplum illorum coniugum, quoad euentum certũ, qui conſtabat ex Scriptura, nempè quoad mortem corporalem; vt ex illà argueret ad ſpiritualẽ fraudantium Monaſteria; Quicquid fuerit, an coniuges illos Deus æterna etiam animæ morte mulctauerit: quod, quia incertum erat, ſumi inde non potuiſſet efficax argumentum ad ſuum intentum.

Subripiat] Alij *Subrepat.*

Quàm ab alijs ſecularibus dari poteſt] Moderni legunt, *Quàm à ſecularibus datur*. Secularis hìc ſumitur prout contradiſtinguitur à Sacro, religioſo, Eccleſiaſtico. Habet enim alias ſignificationes.

De

De Diſciplina ſuſcipiendorum Fratrum.

CAP. LVIII.

CCIV. NOuiter veniens quis ad conuerſionem, non ei facilis tribuatur ingreſſus; ſed ſicut ait Apoſtolus: Probate Spiritus, ſi ex Deo ſunt. *Ioan. 6.4.* Ergo ſi veniens perſeuerauerit pulſans, & illatas ſibi iniurias, & difficultatem ingreſſus, poſt quatuor, aut quinque dies viſus fuerit patiẽter portare, & perſiſtere petitioni ſuæ, annuatur ei ingreſſus, & ſit in Cella Hoſpitum paucis diebus. Poſtea autèm ſit in Cella Nouiciorum, vbi meditetur, & manducet, & dormiat. Et Senior ei talis deputetur, qui aptus ſit ad lucrandas animas, qui ſuper eum omnino curioſe intendat, & ſollicitus ſit, ſi reuera Deum quærit, ſi ſollicitus eſt ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria.

Prædicentur ei omnia dura, & aſpera, per quæ itur ad Deum. Si promiſerit de ſtabilitatis ſuæ perſeuerantia, poſt duorum menſium circulum legatur ei hæc Regula per ordinem, & dicatur ei: Ecce lex, ſub qua militare vis. Si potes obſeruare, ingredere: Si vero nõ potes, liber diſcede. Si adhuc ſteterit, tunc ducatur in ſupradictam Cellam Nouiciorum, & iterum probetur in omni patientia. Et poſt ſex menſium circuitum, legatur ei Regula, vt ſciat ad quod ingreditur. Et ſi adhuc ſtat, poſt quatuor menſes iterum relegatur ei eadem Regula. Et ſi, habita ſecum deliberatione, promiſerit ſe omnia cuſtodire, & cuncta ſibi imperata ſeruare, tunc ſuſcipiatur in Congregatione, ſciens ſe iam lege Regulæ conſtitutũ, quod ei ex illa die non liceat egredi de Monaſterio, nec collum excutere de ſub iugo Regulæ, quam ſub tam moroſa deliberatione licuit, aut excuſare, aut ſuſcipere.

CCV. Suſcipiendus autẽ in Oratorio coram omnibus promittat de ſtabilitate ſua,& conuerſione morum ſuorum,& obedientia coram Deo, & Sanctis eius; vt ſi aliquando aliter fecerit,ab eo ſe damnandum ſciat, quem irridet. De qua promiſſione ſua faciat petitionem ad nomen Sãctorum,quorum Reliquiæ ibi ſunt,& Abbatis præſentis. Quam petitionem manu ſua ſcribat,aut certe,ſi nõ ſcit literas, alter, ab eo rogatus, ſcribat,Et ille Nouicius ſignum faciat, & manu ſua eam ſuper Altare ponat. Quam dum poſuerit,incipiat ipſe Nouicius mox hunc versũ: Suſcipe me Domine ſecundum eloquium tuum,& viuam,& non confundas me ab expectatione mea. Quem verſum omnis Congregatio tertio reſpondeat,adiũgentes Gloria Patri, &c. Tunc ille Frater Nouicius proſternatur omnium pedibus,vt orent pro eo, & iam ex illa die in Congregatione *Pſal. 118.*

reputetur. Res, ſi quas habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta ſolemniter donatione, conferat Monaſterio, nihil ſibi reſeruans ex omnibus, quippe qui ex illo die nec proprij corporis poteſtatem ſe habiturum ſciat. Mox ergo in Oratorio exuatur rebus proprijs, quibus veſtitus eſt, & induatur rebus Monaſterij. Illa autem veſtimenta, quibus exutus eſt, reponantur in Veſtiario conſeruanda, vt ſi aliquãdo, ſuadente diabolo, conſenſerit, vt egrediatur de Monaſterio, (quod abſit) tũc exutus rebus Monaſterij, proijciatur. Illam tamen petitionem eius, quã deſuper Altare Abbas tulit, non recipiat, ſed in Monaſterio reſeruetur.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

AD *conuerſionem*] Vide notas ad caput ſequens, vbi conuerſorum nomen elucidatur.

Si reuera] *Si verè* Vulgati.

Si

Si promiſerit] *Et ſi promiſerit*.

De ſtabilitatis ſuæ perſeuerantia] Codex Ioannis legit, *De ſtabilitate ſua perſeuerantiam*.

Et poſt ſex menſium circuitum] *Circulum*, alij.

Legatur ei Regula] *Relegatur*. Sed paulò infra *Iterum relegatur*.

CCVI. *Sciens ſe iam lege Regulæ conſtitutum*] Cómunis Lectio eſt, *Sciens lege Regulæ conſtitutũ*, ſine pronomine *Se*. Noſtri retinent Lectionem, quam dedimus, & intelligunt, *Sciens ſe lege Regulæ*, ideſt *ſub lege Regulæ conſtitutum, & conſcriptum*. Ego *Conſtitutum* interpretor *Conuentum*, quaſi diceret, Sciens, ſe iam ex vi Regulæ, quam promiſit, eſſe conſtitutum, ſeù Conuentum, vt amplius de Monaſterio egredi nequeat. *Conſtituere* enim aliquando importat *Conuenire*, & *pactum facere*. *Conſtitutus* itaque, ideſt, obligatus pacto, & promiſſione. Vnde dicimus Italicè, *Facere conſtitutum debitori*, nimirum, conuenire debitorẽ in Iudiciũ.

Excuſare, aut ſuſcipere] Apud editas *Recuſare, aut ſuſcipere*. Bernard. *Excuſare hic ponitur pro Recuſare*.

Noſtram tamen Lectionem in ſua proprietate non facilè reijciendam arbitror, Siquidem excuſare interdum ſignificat, Afferre in excuſationem id, quod omittendi, vel peccandi cauſam præbuit. Quintil. *Tu tamen, ſi, interpellatus tempeſtatibus, ſerius veniſſes, excuſares mare, & ambiguos flatus*. Hoc eſt, Mare in excuſationem adduceres de ſero aduentu. Sueton. in Calig. cap. 27. *Parẽtes ſupplicio filiorum intereſſe cogebat, quorum vni, valetudinem excuſanti, Lecticam miſit*. In hoc ergo ſen-

ſu

ſu accipi poſſet in textu noſtro. Nouitius enim probationis tempore liberè poteſt, vel Regulam ſuſcipere, illique ſe ſubijcere; vel illam excuſare, ideſt illam, illiuſque rigorem adducere in excuſationem ſui ad ſeculũ receſſus. Sic ſupra cap. 55. *Excuſatio neceſsitatis*. Nihil ergo mutandum.

Omnium pedibus] *Singulorum pedibus*.

Ex illa die] *Ex illa hora*.

CCVII. *Mox ergo in Oratorio exuatur rebus proprijs, quibus veſtitus eſt*] Tempore S. Patris, & per ſequentia ſecula Nouitius non induebatur monaſtico habitu, niſi ipſo profeſſionis die. Capitula Aquisgrani. *Nouitius nec tondeatur, nec veſtimenta priſtina immutet, priuſquam obedientiam promittat*. Poſterioribus verò ſeculis introductum fuit, vt ab initio Nouitiatus habitum Regularem indueret, & ſanè rationabiliter: ſic enim aſſueſcere magis poteſt veſtibus Monaſticis, & quàm idoneus ſit religioſis exercitijs faciliùs dignoſci.

CCVIII. *Petitionẽ eius*] Abeſt pronomẽ in multis editis. Nomine autẽ *Petitionis* intelligi hìc ipſã Profeſſionis formulam ex contextu ſatis liquet. Sed libet totam hanc ſacræ Profeſſionis cœremoniam huc referre ex Commentario, quod eſt in Codice Abbatis Ioannis.

Poſtquam Nouitius compleuerit annum, & viſus fuerit patiens, & obediens, & probatus, tunc venire debet in Capitulum, & debet illi dicere Abba (hic auctor ſemper legit Abba, prò Abbas) *Si potes obſeruare, dic. Si reſponderit, Domino iuuante, poſſũ, & volo; tunc debet illi dicere Abba. Ecce Frater, Si*

vis

vis Deō omnipotenti ſeruire ſub monachico habitu, & placet tibi ſancta Regula, vade, vende, omnia tua, & da pauperibus; & veni, ſequere Chriſtum. Sed ſi ille dixerit, quia in hoc Monaſterio volo tribuere, tunc dicat illi Abba. Frater, Deo adiuuante, nobis non eſt neceſſaria tua res; eo quod noſtra indigentia habet vnde ſuppleatur. Sūt enim alÿ pauperiores nobis, aut etiā Monaſteria; vel certè parentes tui fortè plus ſunt pauperes, quàm nos; & ideo melius eſt, vt pro mercede illis tribuas, qui plus indigent, quàm nobis. Si autèm ille dixerit, quia volo prò mercede animæ meæ magis in hoc Monaſterio tribuere, quàm alteri dare; tunc donare debet rem ſuam, aut pauperibus, aut in Monaſterium. Cum hoc fecerit, tunc debet venire in Oratorio, & ibi exui ſuis veſtibus, & veſtiri rebus Monaſterÿ in vno angulo Oratorÿ, petitione iam facta. Et hoc notandum eſt, ſiue antequam promittat, ſiue poſtea veſtiatur in Oratorio, nil obſtat. Tantum, vt eius caput promiſsione veletur, & in die octauo deueletur, quia vice Baptiſmi eſt Melota. Deinde debet venire ante Altare, & ibi dicere, Promitto de ſtabilitate mea, & conuerſione morum meorum ſecularium, & obedientia coram Deo, & Sanctis eius. Deinde illam petitionem ſuam, quam ſcriptam habet ſecundum Regulam, debet ponere ſuper Altare, quam dum poſuerit, tunc debet dicere tribus vicibus, Suſcipe me Domine ſecundum eloquium tuum. Deinde omnis Congregatio tribus vicibus, ſicut Regula dicit, debet reſpōdere. Tunc debet ille Nouitius proſtratus iacere in terra, & omnis Congregatio ſolummodo genibus fixis debet cantare Pſalmos pro illo, ideſt, Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam, & De

pro-

profundis clamaui ad te Domine,& cæteros Pſalmos, qui ad hoc pertinent. Poſt hæc debet ſurgere, & dicere hæc Capitula. Saluum fac ſeruum tuum. Conuertere Domine aliquantulum. Dominus cuſtodiat introitum tuum, & poſtea dicatur Oratio prò illo. Hæc auctor ille, quicumque fuerit, certe antiquiſſimus. In quibus multa veniunt obſeruanda, quæ omittimus, nè Notulæ in Commentaria euadant.

De Filijs Nobilium, aut Pauperum, qui offeruntur.

CAP. LIX.

CCIX SI quis forte de Nobilibus offert filium ſuum Deo in Monaſterio, ſi ipſe puer minori ætate eſt, Parentes eius faciant petitionem, quam ſupra diximus; & cum oblatione ipſam petitionem, & manum pueri inuoluant in palla Altaris, & ſic eum offerant. De rebus autem ſuis, aut in præſenti petitione promittant ſub iureiurando, quia nunquam per ſe, nunquam per ſuffectam perſonam, nec quolibet modo ei aliquando aliquid

dent,

dent, aut tribuant occaſionem habendi. Vel certe, ſi hoc facere noluerint, & aliquid offerre volunt in eleemoſynã Monaſterio pro mercede ſua, faciant ex rebus, quas dare volunt Monaſterio, donationem, reſeruato ſibi (ſi ita voluerint) vſufructuario. Atque ita omnia obſtruantur, vt nulla ſuſpicio remaneat puero, per quam, deceptus, perire poſſit (quod abſit) Quod experimento didicimus. Similiter autem, & pauperiores faciant. Qui vero ex toto nihil habent ſimpliciter petitionem faciant, & cum oblatione offerant filium ſuum coram teſtibus.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

CCX. PEr *ſuffectam perſonam*] Ita legit vetuſtiſſimus Codex Abbatis Ioannis. Licet autem Cardinalis Bernardus, Petrus Diaconus, alijque noſtri legant *Suſpectam*, interpretantur tamen *Suppoſitam, ſubrogatam*, quod eſt *Suffectam*. Quod, ſi placet legere *Suſpectam*, intellige, *non legitimam*; ſed extraneam. Abbas enim eſt

legitima, & non ſuſpecta perſona, quæ Monacho concedere aliquid poteſt. Cæterùm *Suffectam* magis conſonat textui: nempe, numquam per ſe, vel per alium.

31 *Parentes*] *Pater, & Mater*, inquit Bernardus, *propriè dicuntur Parentes, à pariendo. Vnde Parentes, quaſi Parientes. Poteſt tamen eſſe, quod, iuxta vulgare Regionis, propinquiores ſibi carne Parentes voluit appellare*. Quibus verbis indicat Bernardus, ſeculo S Patris Italicam linguam, quam appellamus vulgarem, iam in vſu fuiſſe. Quod notauit etiam Lipſius. Smaragdus tamen, & Ruthardus nomine Parentum intelligi volunt Patrem, & Matrem.

CCXI. *Parentes eius faciant petitionem*] Excitat hìc moralem quæſtionem Illuſtriſſimus Caramuel num. 444. An parentes obligare poſſint filios ſuos ad ingreſſum Religionis? In cuius dubij doctiſſima reſolutione, poſtquam dixiſſet cum communi Theologorum, Pueros obligari à Parentibus iure poſſe ad Nouitiatum: ita tamen, vt, cum ad pubertatem venerint, integrum ſit illis, aut manere in Religione, & ſe votis obſtringere; aut ad ſeculum recedere; ſubiungit. *Sic D. Thomas ſtudiorũ cauſa legitimè potuit, imò debuit diſcedere; non obſtante parentum oblatione, quia Angelica illa mens, ſi in Caſinenſi Monaſterio manſiſſet, fuiſſet minus culta, & quaſi abſcondita; careretque Eccleſia excellentiſſimis libris, quos, perpetuo choro addictus, ſcribere non potuiſſet. Eſt ratio manifeſta: quia, licet Caſinenſes pro tempore haberent doctiſſimos viros: Doctoris tanti ingenium indigebat expeditio-*

ditiori tempore. Propterea iuſtè, & legitimè ipſi à Caſinenſibus perſuaſum reor; vt excoleret ingenium Neapoli, & tranſiret ad Predicatores: vbi, & cognoſci, & liber à perpetui Chori obligatione quotidiana, melius Deo, Eccleſiæ, & populo ſeruire poſſet. Ita Caramuel.

CCXII. Benemerenti de Caſinenſibus qualicunque hoc Elogio viro clariſſimo immenſas, ſi non referimus gratias, certè agimus, & habemus. Adhuc tamen à doctiſſimo Magiſtro inſtruendus,

Quærerem ab illo. Quanam fauſti ſideris indulgentia Benedictinus & ipſe, perpetuoq; addictus Choro, tot excellentiſſimis libris literarium orbem ditare potuit? Quonam pacto id potuit Gregorius, Beda, Alcuinus, Rabanus, Strabo, Bernardus, Trithemius, Gratianus, alijque Benedictini, ab ipſo Caramuele recenſiti num. 340. qui Bibliothecas ſuis egregijs voluminibus referſerunt? Quonam id denique potuit Angelicus Doctor, & ipſe ex inſtituto ſui Ordinis perpetuo Choro addictus? Quod ſi cum D. Thoma diſpẽſatum dicas in obligationibus regularibus ratione ſtudiorum: An cum eodem diſpenſari non potuiſſet Caſini, cũ præſertim diſcretiſſimæ id Regulæ indulgentia præſcribat cap. 75?

Quærerem iterũ. An putet Caramuel D. Thomam Caſino diſceſſiſſe rudem, & incultum? An verò Philoſophia, & artibus eruditum? Et an cõſtet Caramueli, quænam Caſinum relinquendi occaſio interuenerit Sancto Adoleſcenti? Sed, quoniam hæc propria ſunt noſtri ſacri Monaſte-

rij; & vt eſt in Prouerbio, Plura ſcit domi ſuæ inſipiens; quàm ſapiens in aliena; operæ pretium me facturum opinor, ipſique Caramueli æquiſſimo viro, non ingratum, ſi aliqua (neque enim omnia) de D. Thoma, quæ noſtris conſignata ſunt monumentis depromam, ac paulò vberius referam.

CCXIII. Igitur circa Annum 1229. cum Caſinēſe Monaſterium moderaretur Landulphus Senebaldus (quem ipſius D. Thomæ Patruum agnoſcunt aliqui, alij verò ex Comitibus Acerrarum, qui & Aquinenſium gentiles erant) traditus eſt Caſinenſibus Puer Thomas quinquennis, cuſtodiendus, & inſtruendus in hac arce Religionis, & literarum Athenæo. Vbi Grammaticam, Logicam, & Philoſophiam naturalem edoctum fuiſſe, præter noſtros, teſtatum reliquit Ptolomæus Lucēſis Epiſcopus Tortellanus ex Ordine Prædicatorum, ipſius D. Thomæ conſcientiæ moderator, & auditor. Lib. enim 22. Cronici Pontificum, manuſcripti in Bibliotheca Eminentiſſimi Principis Cardinalis Franciſci Barberini, cuius benignitate illam licuit mihi oculatè inſpicere. Sic habet cap. 20. *Hic* (Thomas) *nutritus in ſua pueritia in Abbatia Montis Caſini, qui ſunt Monachi nigri, & ſecundum morem nobilium illius Patriæ, vt patet de Beato Mauro, & Placido, ibidem in ſua pueritia in Logicalibus, & naturalibus optimè profecit, &c.* Hæc Ptolomæus, quem locum non integra fide citauit Caietanus. Ex quo Scipio in Elogijs Caſinenſibus.

Cum autem atrox tunc bellum inter Pontificē

Gregorium Nonum, & Fredericum Secundum Imperatorem exarſiſſet; inde toti Campaniæ, ac præcipuè Caſinenſi ditioni magna incommoda deriuarunt. Nam à Pontificio primùm, tùm à Cæſariano exercitu vniuerſa Monaſterij Caſtra, ipſaque Sancti Germani Ciuitas occupata; Landulphus multa paſſus; Monachi è Monaſterio pulſi: quæ calamitates, conterminis etiam oppidis, & Aquino præſertim communes, Sancto Adoleſcenti aliò demigrandi neceſſitatem attulerunt. Neapolim itaque, Regiam Vrbem, & Aſylum cõtendit, vbi operam dediſſe Theologiæ ſub præceptoribus Petro de Hibernia, & Martino Neapolitano Benedictinis, probare ſibi viſus eſt Conſtant. Caiet. in manuſcripto de hac re, aſſeruato in Biblioth. Aniciana. Sed hæc, & alia omitto, nè probabilia pro exploratis interſeram.

CCXIV. Verũ cũ ſuboluiſſent Sancto Puero parentum conſilia de Abbatia Caſinenſi, ſibi poſt Landulphum deferenda; vt erat Chriſtianæ abiectionis amantiſſimus, & ab omni honorum ambitu alienus, quemadmodum refutatæ poſtea ab ipſo ampliſſimæ dignitates conteſtantur; florẽte etiam tunc Prædicatorum Ordinis eximia ſanctitate, atque doctrina illectus; ſacræ illi militiæ, repugnantibus licet conſanguineis, iam Adoleſcens nomen dedit. Paulo poſt verò in Caſtro Montis S. Ioannis eruditiſſimos commentarios in Ariſt. Elenchos compoſuit, nempe ex Caſinenſi diſciplina. Hæc ex noſtris, & ex legendis D. Thomæ operibus eis præfixis.

Non itaque pro ætate minus cultum, aut in li-

teris

teris,& religioſa diſciplina rudem animum exco-lendum Prædicatores à Caſinenſibus acceperũt. Sed qui iam in vtroque pietatis, & doctrinæ ſolo altius radices egerat,& palmites miſerat,qui dein de Eccleſiam vniuerſam clariſſimis ſplendoribus illuſtrarunt.

Habes igitur Lector, quare D.Thomas Caſinũ reliquerit,& cur ad Prædicatores tranſierit? An autem etiam debuerit, & an id ſibi à Caſinenſi-bus perſuaſum,vt ait Caramuel,tuum ſit ingenuè diudicare. Extat certè in hac noſtra Bibliotheca exemplar Epiſtolæ Vniuerſitatis Neapolitanæ ad Eraſmum, tunc Monachum Caſinatem, inuitan-tium,ac deprecantium illum ad ſuſcipiendũ onus magiſterij ſacrarum literarum in eadem vniuerſi-tate. Ex qua liquidò conſtat,quæ per ea tempora de Caſinenſium doctrina inualuerat opinio,vt in-de Magiſtros deprecarentur. Sed tandem non importunæ huic egreſſioni hic finis eſto, & ad Notulas redeamus.

CCXV. *Petitionem*] Capite præcedenti con-ueniant omnes,nomine petitionis accipi formam profitendi. Hìc verò diſcrepant expoſitores. Et quidem Auctor expoſitionis, quæ eſt in Codice Ioannis, vult, petitionem hìc intelligi formulam profeſſionis: ita vt Pater Infantis dicat pro filio. *Ego N. promitto coram Deo, & ſanctis eius de ſtabi-litate huius filij mei,& conuerſione morum,& obediẽ-tia. Forte quia*; inquit Bernardus Cardinalis, *ſicut Puer baptizatur in fide Parentum; ſic in fide Paren-tum Religioni obligatur*. Et in hanc interpretatio-nem conſentiunt Smaragdus,& plerique alij.

At

At verò ipſe Bernardus, relata prædicta intelligentia; & ex recepto errore, tribuens illã Paulo Diacono, ſubiungit ſic. *Sed certè mihi, ſicut modo videtur, & puto, quòd hanc petitionem debemus intelligere, ſicut in Capitulo præcedenti, Poſt quatuor, vel quinque dies perſiſtere petitioni ſuæ, &c. ideſt, vt petant, eum in Monaſterio recipi, nutriri, & doceri regularibus diſciplinis, & quantum in ſe eſt, offerant ipſum Deo. Nam, ſecundum iura, cum ad annos diſcretionis peruenerit, reclamare poteſt, & ad ſeculum redire. Vnde illud non intelligo de verbis profeſſionis.* Bernardo ſubſcribunt Riccardus, & Nicolaus.

Offerre volunt] *Voluerint*, magis placet modernis.

Qui verò ex toto nihil habent, ſimpliciter petitionem faciant, & cum oblatione offerant filium ſuum] Vir clariſſimus Caramuel in ſuo Nomenclatore putat, Particulam, *Cum*, ſtare hìc loco particulæ, *Prò*. Ita vt ſenſum referat, *Simpliciter petitionem faciant, & cùm oblatione, hoc eſt, Prò oblatione, offerant filium ſuum*, quaſi ipſe filius ſit oblatio. *Et ſic debere textum exponi clarum eſt*, inquit. *Quia quam oblationem poſſent Deo dare, qui ſupponuntur, nõ modò eſſe pauperes; ſed & nihil omninò habere?* Hæſi cenus etiam cenſet, cum puero offerendum eſſe aliquid ad ſtipem templi.

CCXVI. Cæterum, quominus clara, imò vera ſit clariſſimi viri expoſitio, multa obſtant. Et in primis cùm S. Pater ait, *Qui verò ex toto nihil habent*, meo iudicio non eſt intelligendum de nihilo ſimpliciter. Quis enim adeò pauper, & miſer erit, qui minutam aliquam oblationem exhibere

non

non valeat? Candelam, Panem, Florem, vel quid ſimile. Intelligendum ergo eſt de nihilo Patrimonij, & hæreditatis; vt ex contextu ſatis liquet. Nimirum, vt qui ex toto, ſeù omninò nihil habent vnde offerant Monaſterio pro mercede animæ ſuæ de ſubſtantia, & Patrimonio ſuo, faciant ſimpliciter petitionem, & offerant filium ſuum coram teſtibus, cum aliqua qualicumque oblatione.

CCXVII. Deinde, quicquid ſit de hac intelligentia, Illud *cum oblatione*, non eſt hìc neceſſariò accipiendum de oblatione aliqua, facienda à Parentibus pueri, vt extimauit Caramuel, & Hæftenus: ſed intelligi poteſt de oblatione fieri ſolita in Miſſa, ita videlicet, vt puer offeratur à Parentibus, cùm ſit oblatio, & cum ipſa oblatione Miſſæ. Quam intelligentiam firmat, & luculenter explicat vſus, & ritus illorum temporum. Et inprimis Capitula Aquiſgrani cap. 36. *Vt puerum Pater, aut Mater tempore oblationis offerant Altari, & petitionem pro eo coram Laicis teſtibus faciat, quã tempore intelligibili ipſe puer confirmet*. Lanfrancus etiam apud Hæftenum, deſcribẽs illam cœremoniam ſic ait. *Offerendus puer, facta ſibi priùs corona, manibus portans Hoſtiam, & Calicem cum vino, ſicut mos eſt, poſt Euangelium Sacerdoti, qui Miſſam celebrat, à parentibus offeratur. Qua oblatione à Sacerdote ſuſcepta, innoluant prædicti parentes manus pueri in palla, qua Altare coopertum eſt, & cuius pars anterius dependet, & tunc ſuſcipiat eum Abbas*. Sic Lãfrancus. Smaragdus ad hunc locum. *Quæ traditio*, inquit, *filiorum, ſiuè nobilium, ſiuè ignobilium, ſiuè diuitum, ſiuè pauperum, hoc tenore, &c. Ideo hunc*

hunc filiũm noſtrum cum oblatione in manu, atque petitione, &c. Et Nicolaus oblationem intelligit *Panem, & vinum.*

CCXVIII. Sed audire non pigeat, quid de tota hac cœremonia vberiùs referat Codex Abbatis Ioannis. *Ita faciendum eſt*, inquit. *Debet, ſi Pater eſt viuus, dicere Pater: ſi autèm mortuus eſt, dicere Mater: nam alias propinquus non debet, ideſt, Promitto ego ille coram Deo, & Sanctis eius pro filio meo de ſtabilitate ſua, & conuerſione morum ſuorum, atq; obedientia. Et debet habere petitionem ſcriptam, et promiſsionem in manu pro filio ſuo. Verbi gratia. Cum lectum fuerit Euangelium, quando debent offerre, antequam incipiat Offertorium, debet ponere in dextera manu filij ſui oblatam cum Mappula; in ſiniſtra autèm Amulam vini. Deinde debet illum Pater ante ſe tenere infantem, & debet inuoluère manum ipſius in illa Mappula, cum qua offert: quia de ipſa Mappula dicit Palla Altaris, non de Altaris panno ſacrato. Deinde debet tenere manu ſua manum filij ſui inuolutam in illa Mappula, & petitionem, qua firmat filium ſuum in illo Monaſterio, & debent adeſſe teſtes. Tunc debet Abba interrogare illum iſto modo. Quid petis Frater? Ille debet reſpondere dicens, Volo tradere filium meum Deo omnipotenti ad ſeruiendum ſibi in hoc Monaſterio; quia ſic præcepit Dominus in lege filijs Iſrael, vt offerrent filios ſuos Deo. Propterea ego volo hunc filium meum ſimiliter Deo offerre. Deinde debet dicere Abba teſtibus. Audiſtis Fratres, & vidiſtis, quid iſte dicat? Illi debent dicere: Audiuimus, & vidimus. Tunc debet ille Pater ante ſe filium ſuum ducere ad illum locum, vbi ho-*

mines offerre conſueuerunt. Deinde debet Presbyter tollere oblatam, & Amulam de manu infantis, tenta manu Patris, & Abba debet recipere infantem, & tollere petitionem. Ideo præcipit B. Benedictus, Cum oblatione infantem offerri, vt per hoc, quod foris oſtēditur, ſignificet, quid intus geratur. Ideſt, vt ſicut oblatio efficitur: ita holocauſtum Domino efficitur, & mox infrà. *Quod verò dicit. De rebus autèm in præſenti petitione promittat ſub iureiurando, & reliqua: ac ſi diceret, nunquam det illi aliquid, aut per ſe, aut per aliquam occaſionem, &c. Iſto modo debet fieri: ideſt, quando offert filium ſuum, tunc debet dicere ſic. Promitto per viuentem in ſecula, quia nunquam do illi hæreditatem ſuam, aut aliquid quidquam: ſed exhæredo illum ab omni mea hæreditate; vt exhæres ſit in perpetuum: ita vt per nullum ingenium poſsit quærere hæreditatem meam per ſucceſsionem ſuam. Quod enim dicit, vel certè ſi hoc facere noluerint, & aliquid in elemoſina, & reliqua. Ita intelligitur: ideſt, ſi hoc facere noluerint, hoc eſt eum exhæreditare de rebus ſuis; ſed voluerint eius portionē offerre in Monaſterio: tunc offerant etiā eius portionē cum ipſo infantulo. Iſto modo fieri debet. Ideſt, ſi voluerint offerre eius portionem in Monaſterium; tunc debet etiā dicere, quando offert filium, offero etiam eius portionē pro mercede animæ meæ in hoc Monaſterio.* Et paulò infra. *Quando vero dicit. Qui verò ex toto nihil habent, ſimpliciter petitionem faciant, & cum oblatione offerant filium ſuum coram teſtibus; ita intelligi debet. Ideſt, ſi tales ſunt, qui per omnia nihil habēt; non eſt opus, vt tali modo faciant promiſsionem, ſicut diuites, & mediocres. Simpliciter, ideſt ſine datione.*

Et

Et cum oblatione offerant filium ſuum corã teſtibus: ideſt, ſine vlla datione, ſed ſolummodò cum oblatione offerant filium ſuum. Hæc omnia Codex Ioannis. Ex quibus euidenter apparet, *Oblatiònem* hìc nõ eſſe intelligendam pro Datione aliqua parentũ. Quando ergo dicit, *Cum oblatione*, non debet intelligi, vt ait Caramuel, pro *Oblatione*: ſed, *ſimul cum oblata Miſſa*, vt diſtinctiſſimè expoſuerunt ſupracitati Commentatores. Quibus conſonant cæteri ex noſtris.

CCXIX. Pallam autèm Altaris intelligit Codex Ioannis Mappulam, cum qua portatur oblata, quæ dicitur eſſe Altaris; eo quod Altari ſeruitur in ea. Sed Bernardus, *Puto*, inquit, *ſecũdum literam, hoc intelligi debere de Palla, quæ eſt in Altari. Et ita vidi de facto ſeruari*. Sic ille. Riccardus etiam *Credo*, inquit, *quòd pars ſuperior Altaris vocetur Palla: ſicut ſumitur de Conſecrat. diſtinct. 1. cap. Altaris Palla*.

Dicitur autèm *Palla* à palliando, quia cooperit Altare. Gugliel. Durant. Pallæ igitur Altaris ſunt linteamina, quibus Altare ſternitur, & operitur. Et certè antiquitus lintei pars pendebat ante faciem Altaris: vt proinde manus pueri inuolui cũ illa poſſet, vt ait Lanfrancus, reuoluendo ſcilicet illam ſuper Altare, & ſuper manus pueri.

CCXX. Denique obſeruandum hìc venit, inter Pueros à Parentibus Religioni oblatos, & illos, qui proprio conſilio ad Monaſterium veniebant, hanc olim fuiſſe appellationis differentiam. Quòd Pueri vocabantur *Nutriti*: Alij verò *Conuerſi*. Nutriti illi; eo quod ab infantia Religio-

nis lacte nutriti, ſeculum non tàm deſeruerant, quàm ignorauerant. Conuerſi iſti, quia à ſeculari vita, quàm experti fuerant, ad vitam Monaſticam conuertebantur: Ideo Anſelmus in libro ſimilitud. cap. 78. Nutritos comparat Sanctis Angelis, in Cælo quaſi nutritis: Conuerſos verò ſanctis hominibus, qui Cælum adepti ſunt. Poſterioribus verò ſeculis Conuerſorum nomen reſtrictũ fuit ad ſignificandum Fratres tãtùm Laicos, ideſt non chorales, ſed idiotas.

CCXXI. Cuius denominationis ea fuiſſe videtur cauſa, inquit Hæftenus pag. 277, quòd cum olim Cõuerſi, ideſt Monachi prouectæ ætatis, & conuerſionis, ſecularium negotiorum, & exteriorum rerum experientiam haberent, ijs potiſſimùm, non verò Nutritis, negotia, & miniſteria demandabantur. Sed, cum poſtea exterioribus miniſterijs procurandis deſtinati fuiſſent Fratres laici, qui Choro addicti non eſſent, hi tandẽ Conuerſorum nomen retinuerunt, tanquàm proprium ſui ſtatus, quod priùs alijs cõmune fuerat.

CCXXII. Nos Caſinenſes in tota noſtra Congregatione Fratres Laicos appellamus *Commiſſos*: non tamen confundimus *Commiſſos* cum *Conuerſis*, vt putant Hæftenus, & alij. Sed diuerſi ſunt inſtituti. Nam Conuerſi emittebant ſolemnia vota, & Scapulare nigrum ſupra Tunicam coloris berettini induebant, nutrientes barbam; Commiſſi verò emittunt ſimplicia tantùm vota: Tunicam berettinam, ſine Scapulari induunt, & è Clauſtris dimitti poſſunt ad arbitrium Abbatis, & ſeniorum, qua dimiſſione abſoluti cẽſentur à vo-

tis.

tis. Nunc tamen Conſtitutionibus noſtris cautū eſt, Conuerſos in Congregatione non amplius recipi, ſicut olim: ſed ſolos Commiſſos.

CCXXIII. Cur autem *Cōmiſſi* appellantur? Fortè quia Monaſterij ſeruitia illis committuntur: vel quia ad communia exercitia mittuntur.

Habemus prӕterea in Congregatione noſtra Fratres *Oblatos*, qui per Chirographum publicum obligant ſe ad obediendum Prӕlato, & offerunt ſe, & ſua Monaſterio irreuocabiliter. Gaudentq; priuilegijs noſtris reſpectiuè, & ad ipſorum capacitatem, veluti Commiſſi.

De Sacerdotibus, qui fortè voluerint in Monaſterio habitare.

CAP. LX.

CCXXIV. SI quis de Ordine Sacerdotum in Monaſterio ſe ſuſcipi rogauerit, nō quidem citius ei aſſentiatur: Tamen, ſi omnino perſtiterit in hac ſupplicatione, ſciat ſe omnem Regulӕ diſciplinam ſeruaturum. Nec aliquid ei relaxabitur, vt ſit, ſicut ſcriptum eſt: Amice ad quid veniſti? *Matth. 26.* Concedatur ei tamen poſt Ab-

batem

batem ſtare, & benedicere, aut Miſſas tenere, ſi tamen iuſſerit ei Abbas. Sin aliàs, nullatenus aliqua præſumat, ſciẽs ſe diſciplinæ Regulari ſubditũ, & magis humilitatis exempla omnibus det. Et ſi forte ordinationis, aut alicuius rei cauſa fuerit in Monaſterio, illum locũ attendat, quando ingreſſus eſt in Monaſterio, non illum, qui ei pro reuerentia Sacerdotij conceſſus eſt. Clericorũ autem ſi quis eodem deſiderio Monaſterio ſociari voluerit, loco mediocri collocentur. Et ipſi tamen ſi promittunt de obſeruatione Regulæ, vel propria ſtabilitate.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

IN titulo. *Fortè*] Deeſt hoc aduerbium in multis editis.

Supplicatione] Alij legunt, *Petitione*.

Omnem Regulæ diſciplinam] Perez legit, *Omnem diſciplinæ Regulam*.

CCXXV. *Aut Miſſas tenere*] *Aut Miſſas canere,*

nere, reponunt Moderni. Sed temerè, quod non capiunt, corrigunt. *Miſſas tenere* ex Græco ſignificat *Sacramenta adminiſtrare*, *vel prædicare*: & ad literam hæc phraſis reperitur in Indiculo Legatorum Hormiſdæ Papæ apud Caſaubonum,& Martinium in Lexico, vbi ſic ſcriptũ eſt. *Si Hæretici non ſunt, quomodo ante duas Hebdomadas, quàm nos veniſſemus, ſtatuerunt omnes in unum, nè quis Miſſas foras Ciuitatem teneret?* Sic ibi, & vſque hodie perſeuerat apud nos vſus dicendi, *Tenere hebdomadam Miſſæ*. Erat igitur locutio vſualis.

Et ſi fortè] Vacat particula coniunctiua in alijs.

In Monaſterio] *In Monaſterium*.

Collocentur] Alij legunt in ſingulari.

Promittunt] *Promiſerint*.

De Monachis peregrinis, qualiter ſuſcipiantur.

CAP. LXI.

CCXXVI. SI quis Monachus peregrinus de longinquis Prouincijs ſuperuenerit, ſi pro hoſpite voluerit habitare in Monaſterio, & contentus eſt cõſuetudine loci, quam in-

inuenerit, & non forte ſuperfluitate ſua perturbat Monaſterium: ſed ſimpliciter contentus eſt, quod inuenerit, ſuſcipiatur quanto tempore cupit. Si qua ſanè rationabiliter, & cum humilitate caritatis reprehendit, aut oſtendit, tractet Abbas prudenter, ne forte pro hoc ipſo eum Dominus direxerit. Si vero poſtea voluerit ſtabilitatem ſuam firmare, non renuatur talis voluntas; & maxime quia tempore hoſpitalitatis potuit eius vita dinoſci. Quod ſi ſuperfluus, aut vitioſus inuentus fuerit tempore hoſpitalitatis, non ſolum non debet ſociari corpori Monaſterij; verum etiam dicatur ei honeſte, vt diſcedat; ne eius miſeria etiã alij vitientur. Quod ſi non fuerit talis, qui mereatur proijci, non ſolum, ſi petierit, ſuſcipiatur, Congregationi ſociandus: verum etiam ſuadeatur, vt ſtet, vt eius exemplo alij erudiantur: quia in omni loco vni Domino ſeruitur, vni

Re-

Regi militatur. Quem ſi etiam talem eſſe perſpexerit Abbas, liceat eum in Superiore aliquantum conſtituere loco. Non ſolum autem Monachum; ſed etiam de ſupraſcriptis gradibus Sacerdotum, vel Clericorum ſtabilire poteſt Abbas in maiori, quàm ingreditur loco, ſi eorum talem perſpexerit eſſe vitam. Caueat autem Abbas, ne aliquando iam de alio noto Monaſterio Monachum ad habitandum ſuſcipiat, ſine conſenſu Abbatis eius, aut literis commendaticijs; quia ſcriptum eſt: Quod tibi non vis fieri, alio ne feceris. *Matth. 7.*

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

CCXXVII. E*T contentus eſt*] *Cōtentus fuerit.* *Simpliciter contentus eſt, quod inuenerit*] Græciſmum hic agnoſci vult Hæftenus, ex omiſſione pronominis ante relatiuum. Vulgati legunt *Eo, quod inuenerit.*

Cum humilitate caritatis] Deeſt, *Charitatis* in editis pleriſque.

Reprehendit; aut oſtendit] Deficit *Oſtendit* in Codice Ioannis.

Nè forte pro hoc ipſo eum] *Nè fortè eum propter hoc ipſum.*

Dinoſci] Prò *Dignoſci.*

Quem ſi etiam] *Quem etiam ſi.*

Aliquantum] *Aliquantulum.*

Supraſcriptis] *Supradictis.*

Si eorum] *Si eius.*

Aliquando iam] ine, *iam*, legunt Moderni.

Alio nè feceris] *Aly nè feceris.*

De Sacerdotibus Monaſterij.

CAP. LXII.

CCXXVIII. SI quis Abbas ſibi Presbyterum, vel Diaconem ordinari petierit, de ſuis eligat, qui dignus ſit Sacerdotio fungi. Ordinatus autem caueat elationem, aut ſuperbiã: nec quicquam præſumat; niſi quod ei ab Abbate præcipitur; ſciens ſe multo magis diſciplinæ Regulari ſubditum. Nec occaſione Sacerdotij obliuiſcatur Regulæ obedientiam, & diſciplinam: ſed magis, ac magis in Deum proficiat.

 Lo-

Locum vero illum ſemper attendat, quo ingreſſus eſt in Monaſterio, præter Officium Altaris: & ſi forte electio Congregationis, & voluntas Abbatis pro vitæ merito eum promouere voluerit. Qui tamen Regulam, à Decanis, vel Præpoſitis conſtitutam, ſibi ſeruare ſciat. Quod, ſi aliter præſumpſerit, non Sacerdos, ſed rebellio iudicetur; Et ſæpe ammonitus, ſi non correxerit, etiam Epiſcopus adhibeatur in teſtimonium. Quod, ſi nec ſic emendauerit, clareſcentibus culpis, proijciatur de Monaſterio: Si tamen talis fuerit eius contumacia, vt ſubdi, aut obedire Regulæ nolit.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

CCXXIX. D*Iaconem*] Perperam recentiores reponunt, *Diaconum*. Frequens enim eſt apud Patres, & Eccleſiam *Diacones* prò *Diaconi*. Philip. 1. *Cum Epiſcopis, & Diaconibus*. Apud Anaſtaſ. Biblioth. Frequenter *Diacones*.

cones. S. Cyp. in Epiſtolis, *Presbyteres*, *Diacones*. *Auguſt*.

Magis in Deum proficiat] *In Domino*.

In Monaſterio] *In Monaſterium*.

Regulam] Ideſt *Directionem*, *& præcepta*.

Sibi ſeruare ſciat] *Sibi ſeruari ſciat*. Aliqui ex noſtris. Sed Vulgati habent, *Sibi ſeruandam*.

Sed Rebellio] Suffragantibus omnibus noſtris. Alijs placuit *Rebellis*, & legunt, *Non vt Sacerdos*; *ſed vt Rebellis*. Fortè S.Pater ſumpſit ex Italiſmo, *Ribello*, *Rebellio*: Cum potiùs in proprietate vocis *Rebellio* ſit nomen criminis; *Rebellis* verò criminoſi, quòd notauerim pro Hæfteno hìc in Notis.

De Ordine Congregationis.

C A P. LXIII.

CCXXX. ORdines ſuos in Monaſterio ita cõſeruent, vt conuerſionis tempus, & vitæ meritum diſcernit, vtque Abbas conſtituerit. Qui Abbas non conturbet gregem, ſibi commiſſum: nec, quaſi libera vtẽs poteſtate, iniuſte diſponat aliquid, ſed cogitet ſemper, quia de omnibus iudicijs, & operibus ſuis redditurus eſt Deo ratio-

rationem. Ergo ſecundum ordines, quos conſtituerit, vel quos habuerint ipſi Fratres, ſic accedant ad pacem, ad Communionem, ad Pſalmum imponendum, in Choro ſtãdum. Et in omnibus omnino locis ætas non diſcernat ordines, nec præiudicet; quia Samuel, *Reg. 1. 7.* & Daniel pueri Presbyteros iudicauerunt. *Dan. 13.* Ergo, exceptis his, quos (vt diximus) altiori conſilio Abbas prætulerit, vel degradauerit certis ex cauſis; reliqui omnes, vt cõuertuntur, ita ſint: vt verbi gratia, qui ſecunda hora diei venerit in Monaſterio iuniorem ſe nouerit illius eſſe, qui prima hora venit diei, cuiuslibet ætatis, aut dignitatis ſit. Pueris per omnia ab omnibus diſciplina conſeruata. Iuniores igitur Priores ſuos honorent. Priores iuniores ſuos diligant. In ipſa appellatione nominũ nulli liceat alium puro appellare nomine: ſed Priores iuniores ſuos Fratres nominẽt: Iuniores autem Priores ſuos

Nonnos vocent, quod intellegitur paterna reuerentia.

CCXXXI. Abbas autem, quia vices Chriſti creditur agere, Dominus, & Abbas vocetur, non ſua aſſumptione, ſed honore, & amore Chriſti. Ipſe autem cogitet, & ſic ſe exhibeat, vt dignus ſit tali honore. Vbicumque autẽ ſibi obuiant Fratres, iunior à Priore benedictionem petat. Tranſeunte maiore, minor ſurgat, & det ei locum ſedédi: nec præſumat iunior conſedere; niſi ei præcipiat ſenior ſuus, vt fiat, quod ſcriptum eſt: Honore inuicem præ-*Rom. 12.* uenientes. Pueri parui, vel adoleſcentes in Oratorio, vel ad menſas cum diſciplina ordines ſuos conſequantur. Foris autem, vel vbi vbi cuſtodiam habeant, & diſciplinam, vſque dum ad intellegibilem ætatem perueniant.

VA-

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

C*Onuerſionis*] Quidam legunt, *Conuerſationis*, & etiam rectè.

Vtque Abbas] Aliqui etiam ex noſtris legunt, *Aut quomodo Abbas*.

Iniuſtè] Deeſt in Codice Ioannis.

Aetas non diſcernat ordines] Proba Lectio, quicquid alij reponant, *Aetas non diſcernatur in ordine*. Salm. Pariſ. Hæſten. ſed nullo veterum ſuffragio.

CCXXXII. *Ad Pacem*] Olim Monachi pacem ab Abbate accipiebant. De quo libeat audire Bernardum. *Apud nos in Natali Domini, Reſurrectione, & Pentecoſte, ſinguli poſt Agnus Dei ante Communionem ab Abbate pacem aſſumunt; & qui Prior aſſumpſit, ſecundum eſt in ordine, ſtat; & accedit ſecundus ab Abbate pacem ſumpturus, qua percepta, à Priore ſtante pacis oſculum ſumit, & ſtat iuxta priorem. Accedit tertius ad Abbatem, & ſumpta pace ab Abbate, & primo, & ſecundo ſtantibus, ſtat & ipſe. Sic omnes ordinatim accedunt ad pacem, & ſinguli à ſingulis pacem ſumunt*. Sic ille.

Ad Communionem] Subiungit Bernardus. *Communionem, ſicut ſunt in ordine, vnus poſt alium percipere debent de corpore, & ſanguine Saluatoris*. Tempore enim Bernardi adhuc extabat vſus communicandi ſub vtraque ſpecie.

Presbyteros] Ideſt *Senes*.

In-

Iuniorem ſe nouerit illius eſſe] Omnes noſtræ membranæ.

Pueris per omnia ab omnibus diſciplina conſeruata] *Pueris verò per omnia ab omnibus diſciplina teneatur*. Hæſtenus, & alij.

CCXXXIII. *Iuniores igitur Priores ſuos honorent. Priores iuniores ſuos diligant*] Ex hoc locò confirmantur ea, quæ notauimus cap. 4. ad illud, *Iuniores diligere*, Non enim de Iuuenibus ſimpliciter, & ætate, loquitur textus: ſed de Iunioribus, comparatiuè ad antiquiores, & Priores in ordine profeſſionis; & idcirco dicit *Iuniores ſuos*, ideſt, ſuos inferiores in ordine.

In ipſa appellatione] Interponitur, *Autem*, à vulgatis.

CCXXXIV. *Nonnos*] Ideſt Patres, vt interpretatur textus, cum ſubiungit, *quod intelligitur paterna reuerentia*. Caramuel, num. 1477. lit. D. *Nonnos* interpretatur illos, qui ſunt ſub Decano, quaſi *Nonos*. Eruditiſſimus Hæſtenus deducit nomen ex Aegypto; vbi monaſtica inſtitutio floruit. Voſſius etiam, *eſt*, inquit, *Vox Aegyptia*. Hi enim Monachos Nonnos, Monachas Nonnas vocant; vt traditum quoq; Cælio Rhodigino lib. 5. cap. 12. D. Hieron. Epiſt. 47. Arnobius. Synodus Aquisgranenſis, Cæſarius, alijque apud Voſſiũ.

Intellegitur] Et infra *Intellegibilem*] Pro *Intelligitur*, antiquo more.

CCXXXV. *Abbas autèm, quia vices Chriſti creditur agere, Dominus, & Abbas vocetur*] Ex fide omniũ noſtrorum dedimus *Dominus*, nõ *Domnus*.

Hinc

Hinc Bernard. *Litera vltramontana non habet Dominus,ſicut litera Caſinenſis : ſed habet Dompnus, & ſine dubio Dompnus videtur plus habere reuerendæ maturitatis , & Dominus plus metuendæ poteſtatis .* Sic ille,quem ſequitur Nicolaus .

CCXXXVI. Diſplicet Hæfteno Lectio noſtra , eo quod Domini prænomen , & titulus illi ſoli tribuendus videatur , de quo in Hymno Angelorum canit Eccleſia , *Tu ſolus Dominus* . Quare hìc omninò legendum putat *Domnus*,non *Dominus* .

Sed in primis,cum Chriſtus in Enangelio præcipiat neminem *Patris* nomine appellari, Matth. 23. *Et Patrem nolite vocare vobis ſuper terrã*] Cur Hæfteno , & ſuis non diſplicet, Abbatem Patrem vocari? Ampliùs *Dominus* , & *Domnus* idem ſunt pro diuerſis ſeculis. Sic Aimoinus de geſt.Franc. lib.4.cap.68. Carolum Magnum *Domnum* appellat *Domnus Carolus Rex habuit Conuentum generalem in Vormatia ciuitate*. Et in Capitul.eiuſdem Caroli ſæpiſſimè *Domnus* prò *Dominus* vſurpatur.

Deinde, ſi non ſunt idem , ipſa textus loquendi cautio liquidò oſtendit , ſcriptum fuiſſe *Dominus* . Aliàs ſuperuacaneum fuiſſet tot rationibus, & cautelis eam appellationem honeſtare in Abbate . Ait namque, *Abbas autèm,quia vices Chriſti creditur agere, Dominus , & Abbas vocetur : non ſua aſſumptione , ſed honore,& amore Chriſti* . Honore, reſpiciendo ad prænomen Domini: Amore ad prænomen Abbatis,quod eſt, Patris. Sic ſupra cap.2. *Chriſti enim agere vices in Monaſterio creditur, quãdo ipſius vocatur prænomine*] nempè Abba.

Quia igitur in Abbate Chriſti perſonam venerā-dam propoſuit Legiſlator; idcirco, cum Chriſtus vocetur Dominus,& Abba; vtroque Chriſti prænomine appellari voluit Abbatem,nō aſſumptione ſua, ſed vt Vicarium Chriſti. Vnde Riccard. Ferè Abbas poteſt vocari Dominus; cum gerat vicem eius,qui Dominus vocatur.

Denique cum omnes Codices Caſinates legāt *Dominus* ſatis veriſimile eſt, hanc Lectionem exſcriptam fuiſſe ex Autographo Regulæ,quod per ea tempora extabat; aut ſaltem extabant exemplaria, ex Autographo deſumpta, in quibus omnibus errorem agnoſcere in hac obuia, & vſuali materia, mihi omninò incredibile videtur. Certè credendum eſt, primos noſtros,& obſeruantiſſimos Regulæ Caſinates, Abbatem compellaſſe,ſicut in Regula præſcriptum videbant. Cum ergo Gordianus in vita S. Placidi Conſtantinum Abbatem, S.Patris immediatum ſucceſſorem, *Dominum* appellet, argumento eſt, & hanc appellationem tunc in vſu fuiſſe,& ex Regula deſumptam. Sic etiam Leo Oſtienſis Chronic. Caſin.inſcribit, *Domino,& Patri Sanctiſſimo Oderiſio Abbati*. Et infra in eodem prologo. *Magis certè de obedientia, quam Tibi, vt Patri, ac Dominō debeo*. Et in Opuſculo de ordine conuerſationis,qui eſt antiquiſſimus,Abbas præſcribitur vocari *Dominus*. Vide in appendice. Domini etiam titulum dant primi Ciſtercienſes ſuis Abbatibus in charta charitatis. Cum ergò profiterentur, *ſe,quicquid regulæ refragabatur reieciſſe*, argumento eſt, Domini titulum ex Regulæ præſcripto ipſis vſitatum.

Simul

Simul itaque voluit prudentiſſimus Legislator, & Monachis ſummam obediendi obligationem indicere,cum Abbatem Domini prænomine vocari iuſſit: & Abbati omnem præſumptionis, vel tumoris anſam præripere,cum, vt ait,non ad ipsũ Abbatem,ſed ad Chriſtum in Abbate honorifica illa compellatio referatur.

CCXXXVII. Neque placet quibuſdam,apud eundem Hæftenum, vſus Caſinenſium, qui Monachos generaliter *Domnos* vocant. *Omninò*,inquiunt, *incongruum eſt, ſi puer ſexdecim annorum in profeſsione dicat. Ego Domnus N. promitto, &c.* Quare *Fratris* prænomen magis illis arridet.

Obſeruandum tamen in his, & ſimilibus prænominibus non amplius attendi primæuam ſignificationem dignitatis, & excellentiæ, ad quam in originaria inſtitutione ordinata fortaſſe fuerunt; ſed ex vſu loquendi tranſiſſe iam in partem nominis, & adhiberi potiùs ad diſtinguendos ordines, & familias, vel ſtatum perſonarum. Sic mendicantes à Monachis diſcernimus in Italia per *Fratres*, & *Domnos*. Sic etiam *Domni* prænomen commune eſt omnibus Clericis, & Nobilibus viris Hiſpaniæ. Vnde ex vſu vaſſallus Regi,& Clericus Epiſcopo ſe *Domnum* ſubſcribit, ſine iniuria Maieſtatis, & Hierarchiæ. Similiter Epiſcopus Clericum ſuum *Domnum* vocat, etiam cum illum vituperat. Alias, ſi in huiuſmodi prænominibus primæua, & rigoroſa ſignificatio etiam nunc attẽderetur; ſicut incongruum, & abſurdum videtur Hæfteno,aut alijs, quòd puer ſexdecim annorum ſe *Domnum* ſcribat: An non videri poſſet abſur-

dius, aut ſaltem nimis domeſticum, quòd Hæfte-nus ipſe, Archiepiſcopo Mechliniẽſi Prælato ſuo, vel Regi, aut Summo Pontifici ſcribens, ſe *Fratrẽ* ſubſcribat? Sunt igitur hæc prænomina pars nominis in vſu loquendi, non titulus dignitatis, vel familiaritatis.

Minor ſurgat] Ineptè quidam corrigunt *Iunior*. Nam legendum *Minor*, vt correſpondeat *Maiori*, quod in textu.

Ad menſas] Communiter legunt in ſingulari.

Pueri parui] *Pueri paruuli*, vel *Pueri*, ſine adiectiuo, apud alios.

Vel vbi vbi] *Vbilibet*. Alias notatum.

De ordinando Abbate.

CAP. LXIV.

CCXXXVIII. IN Abbatis ordinatione illa sẽper conſideretur ratio: vt hic conſtituatur, quẽ ſibi omnis concors Congregatio ſecũdum timorem Dei, ſiue etiam pars, quamuis parua, Congregationis, ſaniori conſilio elegerit. Vitæ autem merito, & ſapientiæ doctrina eligatur, qui ordinandus eſt, etiam ſi vltimus fuerit

in

in ordine Congregatiouis, quod ſi etiã omnis Congregatio vitijs ſuis (quod quidem abſit) conſentientem perſonam pari conſilio elegerit; & vitia ipſa aliquatenus in notitia Epiſcopi (ad cuius Diœceſim pertinet locus ipſe) vel Abbatibus, aut Chriſtianis vicinis claruerint, prohibeant prauorum præualere conſenſum; ſed domui Dei dignũ conſtituant diſpenſatorem : ſcientes pro hoc ſe recepturos mercedem bonam, ſi illud caſte,& zelo Dei faciant; ſicut, è diuerſo, peccatum,ſi neglegãt.

CCXXXIX. Ordinatus autẽ Abbas cogitet ſemper quale onus ſuſcepit, & cui redditurus eſt rationem villicationis ſuæ : ſciatque ſibi oportere prodeſſe magis, quàm præeſſe. Oportet ergo eum eſſe doctum lege Diuina, vt ſciat, & ſit, vnde proferat noua, & vetera: Caſtum,ſobrium,miſericordem, & ſemper ſuperexaltet miſericordiam iudicio, vt idem ipſe conſequa-

qua-

quatur. Oderit vitia, diligat Fratres. In ipſa autem correptione prudenter agat, & ne quid nimis: Ne dum nimis eradere cupit eruginem, frãgatur vas: ſuamque fragilitatem ſemper ſuſpectus ſit, memineritque; calamũ quaſſatum non conterendum. In quibus non dicimus, vt permittat nutriri vitia: ſed prudenter, & cum caritate ea amputet, vt viderit cuique expedire, ſicut iam diximus: & ſtudeat plus amari, quàm timeri. Non ſit turbulentus, & anxius: non ſit nimius, & obſtinatus: non ſit zelotypus, & nimis ſuſpicioſus, quia nunquam requieſcit. In ipſis imperijs ſuis ſit prouidus, & conſideratus, ſiue ſecundum Deum, ſiue ſecundum ſeculum. Opera, quæ iniungit, diſcernat, & temperet cogitãs diſcretionem
Geneſ. 33. S. Iacob dicentis: Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, moriẽtur cuncti vna die. Hæc ergo, aliaque teſtimonia diſcretionis matris virtutũ

ſu-

ſumens, ſic omnia temperet; vt & fortes ſit quod cupiant, & infirmi non refugiant. Et præcipue, vt præſentẽ Regulam in omnibus conſeruet: vt dum bene miniſtrauerit, audiat à Domino, quod ſeruus bonus, qui erogauit triticum conſeruis ſuis in tempore ſuo. Amen dico vobis, ait, ſuper omnia bona ſua conſtituet eum. *Matth. 24.*

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

CCXL. *SIuè etiã pars quãuis parua Congregationis ſaniori cõſilio elegerit*] *Verba ſunt difficilis*, inquit laudatiſſimus Caram. num. 1479. *Et ni benè examinentur, verè ſchiſmatica apparẽt. Si pauci ſaniori cõſilio quempiã eligant, ille ſit Abbas. Sed quis reſoluet, vtra pars nitatur conſilio ſaniore? Ferè omnes exiſtimant, D. Benedictum aſſeruiſſe, illum debere eſſe Monaſterij Antiſtitem, qui ſaniori, etiam minoris partis, conſilio electus fuerit. Verùm non ita exponenda eſt litera: niſi forte quis velit menti Legislatoris contraire. Non comparat D. Pater partem minorem maiori, ſed partem toti. Dicit, illum eſſe declarandum Abbatem, quem, vel tota communitas elegerit, vel ſaltem pars ſanioris conſilij; licet parua, hoc eſt pars, cui plures ſubſcripſerunt, licet pauci. Exemplo*

res

res clarior euadet. Dantur viginti actiuæ voces. Si omnes Petro faueant, nulli eſt quæſtioni locus. Si ipſi faueant quatuor, Ioanni ſeptem, Paulo ſex, & Ambroſio reliquæ, vult inſtitutor Sanctiſsimus, præponi Ioannem, Quamuis enim ſit parua Congregationis pars, quæ illum elegit: numeroſior tamen eſt alijs, & proptereà ſanior præſumitur. Ita Caramuel.

CCXLI. Nihilominus primam interpretationem, quam ferè omnium eſſe ait Caramuel, ad S.Legislatoris mentem propius acceſſiſſe mihi perſuadet antiquiſſima ſacri huius Cœnobij intelligẽtia, & praxis, quam proinde à primis Patribus traditam, & deriuatam fuiſſe veriſimile eſt, & ex illa Regulam explicandam. Codex ergo Ioannis ad hæc verba, *Si quinquaginta*, inquit, *Monachi ſunt, qui malum Abbatem eligunt, & ſunt duo boni Fratres, qui meliorem eligũt Abbatem, iſtis duobus conſenſiendum eſt, & non illis quinquaginta. Similiter, ſi centum, ſimiliter ſi ducenti, quingenti, &c. alij verò tres, vel quatuor, aut quinque, &c.* expreſsè contra ſenſum Caramuelis. Riccardus etiã. *Pars parua numero præfertur maiori cõſilio. Et ſcias, quòd tunc præfertur maiori parti minor, quando maior pars eligit ſcienter indignum, ſecundum quoſdam. Secùs ſi ignoranter, tunc enim vtraque caſſaretur*. Sic ille, vbi plura. Et hæc quidem ad ſenſum Regulæ, licet poſtea Pontificum ſanctiones aliter diſpoſuerint. Vnde Bernardus, ætate poſterior, referens praxim ſui temporis in electione Abbatis Caſinenſis poſt multa ſic ſubiungit. *Si nulla* (electio) *veniat ad maiorem partem, debent dicere Fratres* (ſcrutatores) *licet talis ſit nominatus à maiori parte*

reſpectu

reſpectu partium : tamen nullus reperitur nominari à maiori parte reſpectu Congregationis totius : & ideo electio ſubſequi non poteſt . Iterum ergo videamus, ſi Deus daret nobis gratiam , quòd concordare poſſemus. Hæc Bernardus . Sanior ergo pars ex Regula parua eſſe poteſt, etiam in comparatione ad totam Congregationem, & minor alia parte. Quis ergo reſoluet,inquit Caramuel,vtra pars nitatur conſilio ſaniore ? Præuertit hanc interrogationem prouidus Legiſlator . Reſoluent Abbates, & Chriſtiani vicini,vel Epiſcopus loci, vt in textu. Nam, ſi illis committit Regula,vt,etiam ſi omnis Congregatio vitijs ſuis conſenſientem perſonam pari conſilio elegerit, prohibeant prauorum præualere conſenſum , & domui Dei dignum conſtituant diſpenſatorem : quanto potiori iure id agere poterunt ; cum non omnis Congregatio; ſed maior,licet magna pars indigno fauerit ? Rem & nos illuſtremus exemplo, ex hiſtorijs petito .

CCXLII. Defuncto Honorio Secundo,Summus Pontifex renunciatur ſexdecim Cardinalium ſuffragijs Innocentius Secundus ; Reliqui Cardinales,qui vnus ſupra viginti erant,paulo poſt deſignant Anacletum Secundum . Quis ergo Innocentij electionem legitimam , Anacleti ſpuriam iudicauit ? Chriſtiana Republica,quæ ferè tota, duce Bernardo Clareuallenſi, Innocentium adorauit; eo quòd à ſaniori,licet minori Cardinalium parte,& dignior electus fuiſſet . Nam,quòd Innocentius paulo ante Anacletum electus fuiſſet, excipi poterat, quòd non ſufficientibus votis renũciatus.

ciatus. Neque, quòd quatuor ex primis aſſeclis Anacleti Innocentio poſtmodum adhæſerunt: nã ex vi primæ electionis, in quam illi quatuor conſenſerant, quæſitum iam erat ius Anacleto. Tota itaque vis, qua nitebatur, pugnabatque Bernardus, eò tandem reuoluebatur, quòd à ſaniori parte Cardinalium electus fuiſſet. Quod ex Epiſtola Bernardi ad Epiſcopos Aquitaniæ deduci poteſt.

Sed prouidentiſſimæ poſteriorum Pontificum ſanctiones clariorem electionis formulam præſcripſerunt.

CCXLIII. *In notitia Epiſcopi, ad cuius Diœceſim pertinet locus ipſe*] Riccardus ad hunc locum. *Nota*, inquit, *quòd præſens Regula non ſolùm facta fuit pro Monachis Monaſterij Caſinenſis; ſed & pro alijs. Et hoc dico, quia Caſinenſe Monaſterium eſt exemptum in capite, & in membris*. Sic ille, loquitur tamen vulgari modo. Reuera enim Monaſterium Caſini propriè non debet dici exemptum; ſed ſui natiui iuris: nam non eſt intra fines alicuius Diœceſis; ſed habet propriam Diœceſim, & eſt verus Epiſcopatus.

Sed domui] *Et domui*.

E diuerſo] *E contrario*.

Peccatum, ſi neglegant] Salm. *Peccatum incurſuros, ſi negligant*.

Doctum lege Diuina] *In lege*, cæteri.

Vt ſciat, & ſit vnde] Communiter, *vt ſciat vnde*. Sed noſtra lectio maiorem habet energiam.

Vt viderit] *Prout viderit*.

Siuè ſecundum ſeculum] Addunt quidam, *Sint*.

Vt

Vt & fortes ſit, quod cupiant] Aliqui noſtri legunt, *Sint*. Vulgati. *Vt & ſit quod fortes cupiant.* Italica phraſis. *Che vi ſia da deſiderare per i forti*: Alij prò *Fortes*, legunt *Fratres*, ſed inſulsè.

De Præpoſito Monaſterij.

C A P. L X V.

CCXLIV. SÆpius quidem contingit, vt per ordinationem Præpoſiti ſcandala grauia in Monaſterijs oriantur: dum ſint aliqui, maligno ſpiritu ſuperbiæ inflati, & æſtimantes ſe ſecundos eſſe Abbates, aſſumentes ſibi tyrannidem, ſcandala nutriunt, & diſſenſiones in Cõgregatione faciunt; & maxime in illis locis, vbi ab eodem Sacerdote, vel ab eis Abbatibus, qui Abbatem ordinant, ab ipſis etiam & Præpoſitus ordinatur. Quod quàm ſit abſurdũ facilè aduertitur, quia ab ipſo initio ordinationis materia ei datur ſuperbiendi, dum ei ſuggeritur à cogitationibus ſuis, exutum eum eſſe à pote-

ſtate Abbatis ſui, quia ab ipſis es & tu ordinatus, à quibus & Abbas. Hinc ſuſcitantur inuidiæ, rixæ, detractiones, diſſenſiones, æmulationes, exordinationes: Vt dum contraria ſibi Abbas, Præpoſituſque ſentiunt, & ipſorum neceſſe eſt ſub hac diſſenſione animas periclitari; Et hi qui ſub ipſis ſunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionē. Cuius periculi malum illos reſpicit in capite, qui talibus in ordinationibus ſe fecerunt auctores.

CCXLV. Ideo nos præuidimus expedire propter pacis caritatiſque cuſtodiam in Abbatis pendere arbitrio ordinationem Monaſterij ſui; Et ſi poteſt fieri per Decanos ordinetur (vt antea diſpoſuimus) omnis vtilitas Monaſterij, prout Abbas diſpoſuerit; vt dum pluribus committitur, vnus non ſuperbiat. Quod, ſi aut locus expetit, aut Congregatio petierit rationabiliter cum humilitate, & Abbas iudica-

uerit

uerit expedire, quemcumque elegerit Abbas cum conſilio Fratrum timentium Deum, ordinet ipſe ſibi Præpoſitum. Qui tamen Præpoſitus illa agat cum reuerentia, quæ ab Abbate ſuo ei iniuncta fuerint, nihil contra Abbatis voluntatem, aut ordinationem faciēs, quia quantum Prælatus eſt cæteris, in tantum eum oportet ſollicitius obſeruare præcepta Regulæ: Qui Præpoſitus, ſi repertus fuerit vitioſus, aut elatione deceptus ſuperbiæ, aut contemptor ſanctæ Regulæ fuerit comprobatus, ammoneatur verbis, vſque quater: ſi non emendauerit, adhibeatur ei correptio diſciplinæ Regularis. Quod, ſi neque ſic correxerit, tunc deijciatur de ordine Præpoſituræ, & alius, qui dignus eſt in loco eius ſubrogetur. Quod ſi & poſtea in Congregatione quietus, & obediens non fuerit; etiam de Monaſterio pellatur. Cogitet tamen Abbas, ſe de omnibus iudicijs ſuis Deo

red-

reddere rationem: ne forte inuidiæ, aut zeli flamma vrat animam.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

ET *æſtimantes*] *Qui æſtimantes*.

In Congregatione] *In Congregationes*. Legunt aliqui noſtri.

Ab eis Abbatibus] *Ab eiſdem*.

Quia ab ipſis es & tu ordinatus] *Ab ipſis eſt ordinatus*. Legũt Vulgati. Sed melius noſtri, quaſi ad ſemetipſum loquatur in cogitationibus ſuis.

Vt dum] *Et dum*.

Sibi Abbas] *Sibi inuicem Abbas*.

Qui talibus in ordinationibus ſe fecerũt auctores] Conſtans Lectio noſtrorum. Quam ſic proponunt alij: *Qui talibus in ordinatione ſe fecerunt auctores*.

Ideo] *Ideoque*.

Præuidimus] Alij *Prænidemus*: Alij *Iudicauimus*,

CCXLVI. *Per Decanos*] In Monaſterio Caſinenſi per aliquot ſecula vnus erat Decanus, qui poſt Abbatem ſuccedebat in ordine, & à Cæleſtino Quinto appellatus Prior Clauſtralis, vt ſupra notauimus. Extabat autèm in Ciuitate S. Germani aliud Monaſterium, Caſinenſi vnitũ, cuius Superior vocabatur magnus Præpoſitu, ad differentiam, opinor, Præpoſitorum, qui præficiebantur minoribus Cellis, ſeu Grangijs Monaſte-

rij

rij Primatis. Abbas verò S. Mauri Granofolienſis in Gallia, qui ſubditus erat Caſinenſi, cùm ad limina S. Benedicti ſtatis temporibus veniebat, in loco Præpoſiti ſtare, & ſedere conſueuerat; ea forte congruitate, quia S. Maurus, cuius ipſe ſucceſſor erat, Præpoſitus fuerat Monaſterij Caſinenſis.

In tantum eum] *Tanto eum*.

Sollicitius] S. I. nunt. *Sollicitè*.

De omnibus iudicijs ſuis Deo reddere rationem] *Deo redditurum*.

De Hoſtiarijs Monaſterij.

CAP. LXVI.

CCXLVII. AD portam Monaſterij ponatur Senex ſapiens, qui ſciat accipere reſponſum & reddere, & cuius maturitas eum non ſinat vagari. Qui Portarius Cellã debet habere iuxta portam, vt venientes ſemper præſentem inueniant, à quo reſponſum accipiant. Et mox, vt aliquis pulſauerit, aut pauper clamauerit, Deo gratias, reſpondeat, aut benedicat; & cum omni manſuetudine timo-

ris

ris Dei reddat reſponſum feſtinanter cum feruore caritatis. Qui Portarius, ſi indiget ſolacio, iuniorem Fratrem accipiat. Monaſterium autem, ſi poſſit fieri, ita debet conſtitui, vt omnia neceſſaria, ideſt, aqua, molendinum, hortum, vel artes diuerſæ intra Monaſterium exerceantur; vt non ſit neceſſitas Monachis vagandi foris, quia omnino non expedit animabus eorum. Hanc autem Regulam ſæpius volumus in Congregatione legi; ne quis Fratrum ſe de ignorantia excuſet.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

IN titulo. *De Hoſtiarijs*] Alij legunt in ſingulari; Sed textus in corpore diſponit in plurali, ideo in plurali titulus.

Ex cuius maturitas] Omittitur coniunctio in editis.

Si poſsit fieri] *Si fieri poteſt*.

Conſtitui] Quidam ex noſtris, *Conſtrui*.

CCXLVIII. *Hortum*] Vitium videtur fuiſſe Scriptoris, ait Bernardus, ponentis *Hortum* pro *Hor-*

Hortus. Boerius tamen dicit, reperiri Hortum in neutro genere, quod non agnoſcit Hæſtenus.

Poſt Hortum Vulgati legunt *Piſtrinum*. Sed nullibi in noſtris. Antiquitùs ipſum *Molendinum* vocabatur *Piſtrinum*; eo quòd frumenta tunc non molebantur, ſed tundebantur. Grapald. & alij.

De Fratribus in viam directis.

CAP. LXVII.

CCXLIX. DIrigēdi Fratres in via, omnium Fratrum, vel Abbatis ſe orationibus commendent. Et ſemper ad orationē vltimam operis Dei commemoratio omnium abſētium fiat. Reuertentes autem de via Fratres, ipſo die, quo redeunt per omnes Canonicas horas, dum expletur opus Dei, proſtrati ſolo Oratorij ab omnibus petãt orationem propter exceſſus: ne cui forte ſubripuerit in via viſus, aut auditus malæ rei, aut ocioſi ſermonis. Nec præſumat quiſquam referre alio quæcumque foris Mona-

ſterium viderit, aut audierit; quia plurima deſtructio eſt. Quod ſi quis præſumpſerit, vindictæ Regulari ſubiaceat. Similiter & qui præſumpſerit Clauſtra Monaſterij egredi, vel quocumque ire, vel quidpiam, quamuis paruum, ſine iuſſione Abbatis facere.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

ORationibus] *Orationi*.

Nè cui fortè ſubripuerit] *Nè quid*.

Referre alio] *Alij*.

Foris] *Foras*.

CCL. *Clauſtra Monaſterij*] Intellige clauſuram, & portam Monaſterij. Cum autem ſubiungit, *Vel quocumque ire*, intellige intra Clauſtra: non enim quocumque ire intra Monaſterium licitum eſt omnibus. Sic exponunt omnes noſtri.

Si Fratri impoſſibilia iniungantur.

CAP. LXVIII.

CCLI SI cui Fratri aliqua fortè grauia, aut impoſſibilia in-

iun-

iunguntur, ſuſcipiat quidem iubentis imperium cum omni manſuetudine, & obedientia. Quòd ſi omnino virium ſuarum mẽſuram viderit pondus oneris excedere; impoſſibilitatis ſuæ cauſas ei, qui ſibi preæſt, patiẽter, & opportune ſuggerat, non ſuperbiendo, aut reſiſtendo, vel contradicendo. Quod ſi poſt ſuggeſtionem ſuam in ſua ſentẽtia Prioris imperiũ perdurauerit; ſciat iunior, ita ſibi expedire, & ex caritate, confidens de adiutorio Dei, obediat.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

P*ondus oneris*] Demunt, *Oneris*, ferè omnes editiones.

CCLII. Ad impoſſibile nemo tenetur, clamant omnia iura, & ipſum naturæ lumen dictat. Et nihilominus ad impoſſibilia ſubeunda Monachum obligari ex præcepto imperantis, definit Legifer noſter. Caramuel diſtinguit de *Impoſsibili Phyſico*, & de *Morali*. Illud omninò fieri non poteſt; Hoc difficillimè. Vult igitur, Regulam loqui de *Impoſsibili* non *Phyſico*, ſed *Morali*: aliàs præcipiens eſſet imprudens, & ſubditus non tenere-

tur obedire: quia non datur potentia ad impoſſibile. Ità Caram. Benigniſſimè, vt ſolet ex Genio. Alij de *Impoſsibili ſimpliciter* intelligi malunt, & ſanè magis, vt mihi videtur, ad ſenſum textus, qui propterea ad confidentiam Diuini adiutorij tandem recurrit. Hæc eſt enim Benedictinæ obedientiæ perfectio (quam idcirco ſolam in profeſſione explicamus) vt etiam ad impoſſibilia extendatur: non ita quidem, vt opus ipſum iniunctum perficere teneamur: ſed, vt affectum, & promptitudinem obediendi, etiam in rebus impoſſibilibus, oſtendamus. Ad hæc Bernardus noſter. *Mirabilis obedientiæ perfectio Regularis, quæ ad impoſsibilia etiam ſe extendat, & ſoli Deo relinquatur, quando impoſsibile eſt, quod iubetur. Et mirabilis Patris noſtri conſolatio, quæ & ſic expedire dicit, & confidentiam de Dei adiutorio repromittit, cum dicit, Sciat iunior, ita ſibi expedire, & ex caritate, confidēs de adiutorio Dei, obediat. Cum Deus, ſecundum B. Ioannem, ſit Charitas, cum amanti nihil ſit difficile, Deum in Charitate habenti, nihil erit impoſsibile: quia iuxta Domini vocem, quæ impoſsibilia ſunt apud homines, poſsibilia ſunt apud Deum. Charitas, vt hæc litera ſonat, omnia expedire facit. Confidentiam in mente parit, Dei adiutorium in operatione impendit.* Sic Bernardus. Certè imprudens, vt plurimùm, eſſet Prælatus, impoſſibilia præcipiens: ſed etiam imprudenter præcipienti obedire quoquomodo iubemur. Subditi enim non eſt iudicare de præcepto: ſed obedire præceptis. Multoties enim id fit ad probandam noſtram obedientiam, noſtrā humilitatem, noſtram in Deo fiduciam: & ſic non ſem-

ſemper imprudenter impoſſibilia præcipiuntur. Quod exemplis in Sanctorum hiſtorijs facilè cōprobatur. Et facit ad hoc, inter alia, obedientia B. Mauri, qua meruit ſicco, firmoque veſtigio ſuper aquas incedere.

Vt in Monaſterio non præſumat alter alium defendere.

C A P. L X I X.

CCLIII. PRæcauendum eſt, ne quauis occaſione præſumat alter alium defendere Monachum in Monaſterio, aut quaſi tueri, etiam ſi qualeuis conſanguinitatis propinquitate iungantur. Nec quolibet modo id à Monachis præſumatur; quia exinde grauiſſima occaſio ſcandalorum oriri poteſt. Quod ſi quis hæc tranſgreſſus fuerit, acriùs coerceatur.

VA-

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

P*Racauendum*] Addunt aliqui *Summoperè.*
Alter alium] *Alter alterum.*
Etiam ſi qualeuis] *Etiam ſi qualibet*. Sed non reijcienda noſtra lectio.

Vt non præſumat quiſquam alium cædere.

CAP. LXX.

CCLIV. VEtetur in Monaſterio omnis præſumptionis occaſio. Conſtituimus, vt nulli liceat quemquam Fratrum ſuorum excommunicare, aut cædere; niſi cui poteſtas ab Abbate data fuerit. Peccantes autem coram omnibus arguantur, vt cæteri metum habeant. Infantum verò, vſque quindecim annorum ætates, diſciplinæ diligentia ab omnibus, & cuſtodia ſit. Sed & hoc cũ omni menſura,

ſura,& ratione. Nam in fortiori ætate qui præſumit aliquatenus,ſine præcepto Abbatis, vel in ipſis Infantibus ſine diſcretione exarſerit,diſciplinæ Regulari ſubiaceat; quia ſcriptum eſt, Quod tibi non vis fieri, alio ne feceris.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

TItulum varijs modis inſcribunt Vulgati. Noſtri antiquiores,ſicut dedimus. Recentiores,*Vt non præſumat paſsim aliquis cædere.*

Vetetur] Recentiores *Vitetur*. Sed antiqui,*Veto*, prò *Vito* vſurpabant; Sicut ſupra,*Deuerto* pro *Diuerto*. Niſi fortè *Vetetur* poſitum fuit in ſenſu prohibendi, ideſt *Prohibeatur*. Alij legunt, *Vt Vitetur*.Sed particula,*Vt*,vacat ſæpè in textu,cap.8. *Sic temperetur hora vigiliarum agenda. Paruiſsimo interuallo, &c.* Quod alij legunt *Vt paruiſsimo.* & alibi.

Conſtituimus] Præmittunt quidam *Ordinamus, atque Conſtituimus*. Codex Ioannis *Atque Conſtituimus*.

CCLV. *Excommunicare*] Plures interpretantur, *Excommunicare*, ideſt,*Maledicere*, & *Anathematizare*. Alij verò intelligi volunt de excõmunicatione Regulari, & comprehendi exiſtimant etiam Abbatem: vt ſcilicet, neque Abbas

poſſit

poſſit paſſim, & irrationabiliter excommunicare; & ideo, inquiunt, publicè id fieri præſcribitur in textu.

CCLVI. *Infantum verò, vſque quindecim annorum ætates, diſciplinæ diligentia ab omnibus, & cuſtodia ſit*] Tota hæc Periodus varias habet Lectiones, apud editos. *Infantibus verò, vſque ad quintum decimum annum ætatis, diſciplinæ diligentia ſit, & cuſtodia adhibeatur ab omnibus.* Alij aliter. Sed, ſi liceret in antiquis Auctoribus ſtilum vertere, & ſpongia vti, nihil haberemus genuinum: Quis enim adeò immaculatus eſt Scriptor, vt nihil in illo Ariſtarchus eradere iure valeat, vel abſtergere? Quicquid tulerunt ſecula, ferendum eſt nobis. Demus igitur nos textum Regulæ ex fide noſtrorum. Noſtrum verò textum cæteris ſinceriorem eſſe ex antiquitate, & ex conſonantia tot Codicum, facilè dignoſcetur. Minutiora hæc, quæ delicatulos offendunt, ætatem rudem editionem fidam indicabunt.

8 *Qui præſumit*] *Qui præſumpſerit.*

Alio nè feceris]. *Alij nè feceris.*

Vt obedientes ſibi ſint inuicem Fratres.

CAP. LXXI.

CCLVII. OBedientiæ bonum non ſolum Abbati exhibendum

dum eſt ab omnibus, ſed etiam ſibi in-
uicem ita obediant Fratres, ſciẽtes per
hanc obedientiæ viã ſe ituros ad Deũ.
Præmiſſo ergo Abbatis, aut Præpoſito-
rum, qui ab eo conſtituuntur, imperio
(cui non permittimus priuata impe-
ria præponi) de cætero omnes iunio-
res Prioribus ſuis omni caritate, & ſol-
licitudine obediant. Quod ſi quis con-
tentioſus reperitur, corripiatur. Si quis
autem Frater pro quauis minima cau-
ſa ab Abbate, vel à quocumque Priore
ſuo corripitur quolibet modo, vel ſi le-
uiter ſenſerit animos Prioris cuiuſcũ-
que contra ſe iratos, vel commotos,
quamuis modice; mox ſine mora tam-
diu proſtratus in terra ante pedes eius
iaceat ſatisfaciens, vſque dum benedi-
ctione ſanetur illa commotio. Quod
ſi qui contempſerit facere, aut corpo-
rali vindictæ ſubiaceat, aut ſi contu-
max fuerit de Monaſterio expellatur.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

SI *quis autem Frater*] Deeſt, *Frater*, in quibuſdam editionibus.

Corripitur] *Corripiatur*.

Animos Prioris cuiuſcumque contra ſe iratos, vel commotos] Omnia in ſingulari efferunt plures,

Quod ſi qui] *Quod ſi quis*.

De Monaſterio expellatur] Vltima contumacium, & incorrigibilium pœna olim expulſio, etiã ſi ſtabilitatem promiſiſſent. De quo legantur Suarez tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 14. & Hæftenus in vitam S. P. Benedicti. cap. 25.

De zelo bono, quem debent Monachi habere.

CAP. LXXII.

CCLVIII. SIcut eſt zelus amaritudinis malus, qui ſeparat à Deo, & ducit ad Infernum: ita eſt zelus bonus, qui ſeparat à vitijs, & ducit ad Deum, & ad vitam æternam. Hunc ergo zelum feruẽtiſſimo amore exerceant Monachi: ideſt, vt honore ſe in-

uicem præueniant. Infirmitates ſuas, ſiue corporum, ſiue morum, patientiſſime tolerent. Obedientiam ſibi certatim impendant. Nullus, quod ſibi vtile iudicat, ſequatur; ſed quod magis alio. Caritatem Fraternitatis caſto impendant amore. Deum timeant, Abbatem ſuum ſincera, & humili caritate diligant. Chriſto omnino nihil præponant: qui nos pariter ad vitam æternam perducat.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

M*Agis alio*] *Magis alij*.

Qui nos pariter ad vitam æternam perducat] Aliqui addunt, *Amen*. Sed nullibi apud noſtros.

De hoc, quòd non omnis Iuſtitiæ obſeruatio in hac ſit Regula conſtituta.

CAP. LXXIII.

CCLIX. REgulam autem hãc deſcripſimus, vt hanc obſeruantes in Monaſterijs, aliquatenus vel honeſtatem morum, aut initium conuerſationis nos demoſtremus habere. Cæterum ad perfectionem conuerſationis, qui feſtinat, ſunt doctrinæ ſanctorum Patrum, quarum obſeruatio perducit hominem ad celſitudinẽ perfectionis. Quæ enim pagina, aut quis ſermo Diuinæ auctoritatis veteris, ac noui Teſtamenti, non eſt rectiſſima norma vitæ humanæ? Aut quis liber Sanctorum Catholicorum Patrũ hoc non reſonat, vt recto curſu perue-

niamus ad Creatorem noſtrum? Nec non & Collationes Patrum, & inſtituta, & Vitas eorum; ſed & Regula S. Patris noſtri Baſilij quid aliud ſunt; niſi bene viuentium, & obedientium Monachorum inſtrumēta virtutum? Nobis autem deſidioſis, & male viuentibus, atque neglegentibus rubor confuſionis eſt. Quisquis ergo ad Patriam Cæleſtem feſtinas hanc minimam inchoationis Regulam deſcriptam, adiuuante Chriſto perfice; & tunc demum ad maiora, quæ ſupra commemorauimus doctrinæ, virtutumq; culmina Deo protegente peruenies.

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

CCLX. VLtimum hoc Sãctæ Regulæ caput, cum poſtrema parte antecedentis aſſeruatur in Sacrario noſtro Caſinenſi, in cortice arboris ſcriptum, & in argẽtea theca, vitro ſuperpoſito, incluſum; cum hac inſcriptione. *Hæc eſt ſcriptura propriæ manus Sancti Benedicti Abbatis F. Amicus F.* Characteres quidem ſunt bene formati,

mati,& concinni; ſed penè euanuerunt,vt vix aliqua mutila verba legi nunc poſſint] Præpon] Eter] quæ ſpectant ad eſtremum capitis antecedentis. De quod non omn.] Hac ſit reg.] vel honeſt.] quæ pertinent ad hoc vltimum.

CCLXI. Dubitare tamẽ quis poſſet, An hæc ſit Scriptura Idiographa, vel Autographa, ideſt vera, & germana propriæ manus S. Patris. Nam Regula, propria manu ab ipſo exarata, incendio perijt apud Theanum ex Chron.Caſinenſi.

Nihilominus minimè de ea dubitandum exiſtimo; ob vetuſtiſſimam noſtrorum traditionem. Forte aliquod exuſti codicis folium flãmas euaſit: aut ſaltem eas euaſit illud aliud Regulæ originalis fragmentum, quod Zacharias Pontifex hùc detulit,tempore Theodemari Abbatis;ex illa nempè Regula, quam S. Pater B.Mauro,in Gallias proficiſcenti tradidit. Ex Petro Diacono in Regiſtro.

CCLXII. Certè, ſi hæc eſt Scriptura S. Legiſlatoris, ex ea ſatis conſtare poteſt, lemmata, & titulos,ſingulis capitibus præfixos fuiſſe ab ipſo auctore, vt patet ex hoc vltimo.

Vt hanc] Sic omnes noſtri. Cæteri legunt, *Vt eam*.

Et vitas eorum] *Vitas*, in noſtris eſt, prò *Vita*. Pro quo notandum, vulgatiſſimum illum librum, in quo ſeniorum Patrum oriẽtalium Vitæ, & ſermones deſcripti ſunt,iam à ſeculis præferre hunc titulum, *Vitas-Patrum*. Cuius tituli rationẽ Coluenerius deducit ex eo, quod,*Vitas*,hic non eſt Accuſatiuus, ſed Genitiuus ſingularis, ſicut in

Patre-

Patreſfamilias. Ita vt ab initio inſcriptus fuerit, *Liber Vitas-Patrum*, vno verbo: ideſt *Liber Vitæ Patrum*, ſeu *Liber continens vitas Patrum*. Deinde omiſſo, *Liber*, dictus ſit ſimpliciter *Vitas-Patrum*. Adrianus verò Courten ſuſpicatur, initio inſcriptum fuiſſe, *Vita S. Patrum*: ſed ſcriptorum imperitia, coniuncto ſibilo, *S*, cum verbo *Vita*, factum fuiſſe *VitasPatrum*. Tandem Heribertus Roſueydus opinatur, ex frequenti citatione huius libri in Accuſatiuo, reperta in antiquis auctoribus, retentum deinceps, vt prò *Vitæ Patrum*, diceretur *VitasPatrum*. Cæterum, quicquid ſit de origine tituli, certiſſimum eſt, hunc librum olim, & vſque ad noſtra tempora appellatum fuiſſe, & inſcriptum ſimpliciter, quaſi vno verbo, *VitasPatrum*. Ergo quando S. Pater noſter ſupra cap. 42. dixit, *Legat vnus VitasPatrum*, ſenſus eſt, *Legat Librum, qui dicitur VitasPatrum*; ac proinde, cum hìc ait *Inſtituta, & vitas eorum*, intelligi debet, *Inſtituta Patrum, & liber, qui dicitur vitas eorum*, ideſt *VitasPatrum*. Quod ſi quis hunc titulum *VitasPatrum* nolit agnoſcere, vt coæuum D. Benedicto, ſed illo poſteriorem, dicat, *Vitas*, hìc prò *Vitæ* à recentiori manu fluxiſſe. Vide Roſueydum in Vitas Patrum Prol. 1.

CCLXIII. *Sed & Regula S. Patris noſtri Baſilij*] Arguunt hinc Baſiliani, Benedictum è Baſilij Regulis ſuam Regulam deſumpſiſſe, & Baſilio militaſſe.

Mihi verò, niſi veritati fucum facit Pietas, oppoſitum potius inde argui debere videtur. Sed nec rem actam agimus, nec agendam operoſiori calamo præripimus. *Obe-*

Obedientium Monachorum inſtrumenta virtutũ] Cæteri legunt, *Obedientium Monachorum exempla, & inſtrumenta virtutum*. Sed nullæ ex noſtris membranis referunt, *Exempla*, niſi tantum tranſumptum, affixum ſupradicto cortici ex poſtera parte. Quod tamen mihi videtur à vulgatis tranſcriptum recentiori manu, poſtquam in originali multa euanuiſſent.

CCLXIV. In Regulis impreſſis legitur in fine. *Facientibus hæc, Regna patebunt æterna*, vel *ſuperna*. Sed in antiquioribus noſtris membranis minimè reperitur. Petrus Diaconus primus ex noſtris id addidiſſe videtur: & ſumpſit fortaſſe ex Smaragdo, à quo fere omnia, vt notauimus, præter ea, quæ ad hoc Monaſterium pertinebant, Mihi certè improbabile eſt, eam coronidem appoſitam Regulæ fuiſſe ab Auctore: tum quia in ea promiſſione, aut vaticinio mihi non ſubolet tanti Patris modeſtia: tum etiam, quia deprecatoriè idipſum in calce penultimi capitis iam expreſſerat, cum dixit *Qui nos pariter ad vitã æternam perducat*, & ibi aptius apponi debuerat. Illud enim caput propriè eſt finis Regulæ. Hoc verò vltimum eſt potius peroratio poſt Regulam.

FINIS.

APPENDIX
DE OPVSCVLIS
SS.mo PATRI BENEDICTO adſcriptis.

Ad Lectorem

D. Paulus Auguſtinus de Ferrarijs Caſinas.

MAgnorum virorum, quantumlibet parua Opuſcula, magni æſtimantur. Vt enim exiles etiam riuuli fontem ſapiunt, & in tenuiſſimis quoque radijs ſol agnoſcitur: ſic quantumuis paruulæ lucubrationes magnum Auctoris referunt ſpiritum, ſublimeſque ideas, vnde promanant. Quapropter, ſi quæ, præter Regulam, de qua nulla eſt controuerſia, ſupereſſent ſancti Legislatoris noſtri ſcripta, ſumma cura colligi meruerunt, & à clariſſimis viris commentario illuſtrari. Quinque autem ſunt Opellæ, quæ Sancti Patris nomine circumferuntur, & venerantur. Verum eadem ratione ſeptem numerari debuiſſent. CCLXV.

1 Ordo monaſticæ Conuerſationis.

2 Sermo Sancti Patris è Sublacu Caſinum demigrantis.

3 Sermo ad Sanctum Placidum in Siciliam proficiſcentem.

4 Sermo in morte Sancti Placidi.

5 Sermo in diſceſſu Beati Mauri è Monaſterio Caſinenſi in Gallias.

6 Epiſtola ad eundem Beatum Maurum.

7 Epiſtola ad Sanctum Remigium Epiſcopum Rhemenſem.

Et ſanè, ſi contingat hæc Opuſcula legitimis argumentis Sancto Patri aſſerere, nulli dubium, quin præcipuo in honore apud Benedictinos haberi debeant.

Duo igitur mihi hìc agenda propono. Primum, quid de illorum Auctore cenſendum? Alterum, illa nihilominus Opuſcula, cuiuſcumque fuerint, noſtræ editioni Regulæ, appendicis loco ſubnectere: Tùm nè pium Filiorum deſiderium, eorumque quaſi præſcriptum ius fraudare voluiſſe viderer integro Parentis, quamuis dubio patrimonio: iam enim à ſeculis poſt Regulam legi ſolent: Tum, vt illa ex fide Tabularij Caſinenſis legenda proponerem, quemadmodum de Regula ipſa fecimus.

De

De Ordine Monaſticæ Conuer- ſationis.

Cenſura:

ET primo, quod attinet ad Ordinem mona- CCLXVI.
ſtice conuerſationis, qui eſt veluti quoddã Rituale, ſeu Cœremoniale vitæ monaſticæ, practicè, & diſtinctiùs præſcribens, & ordinans, quæ in Regula generalius ſanciuntur, illum vt legitimum fœtum Sancti Patris noſtri agnoſcunt, Arnoldus Vuion, Balduinus, Moreau, Chryſoſt. Henriq. Antonius Iepes, Aſcanius Tamburinus, Conſtan. Caiet. Andreas de Salazar, Poſſeuinus, alijque apud Hæftenum in Diſquiſitione de hac ipſa re. Quibus adde Illuſtriſſimum Caramuelem Theologiæ Regul. num. 1765. 1782.

Nituntur his argumentis. Primo, quia hìc Li- CCLXVII.
bellus Sancto Patri noſtro inſcribitur in antiquiſſimis exemplaribus.

Secundo, quia inuentus fuit in fine Regulæ, quam Sanctus Pater manu propria exarauit, & Beato Mauro tradidit. Quocirca in manuſcripto Caſinenſi, vndè editionem ſuam Vuion tranſcripſit anno 1590. ſic inſcribitur hoc Opuſculum. *Hæc verba Sanctiſsimi P. Benedicti reperta ſunt in fine Regulæ, quam ipſe proprijs manibus ſcripſit, & Sancto Mauro, cum eum ad Gallias mitteret, tradidit: quæ D. Petrus Abbas Cluniacenſis, cum apud maius Monaſterium Turonenſe in eadem Regula, quæ*

Digitized by Google

ibi pro reliquijs ſeruatur, inueniſſet, rogauit ſibi trãſmitti. Ex quo conficitur.

Tertium Argumentum. Nam ipſæ noſtræ Tabulæ Caſinates huic opinioni ſuffragari vidētur. Quo nixus fundamentō Vuion, edi curans hunc Libellũ, anno 1593. in eius fine ſic ſcribit. *Tranſcripta ex libro vetuſtiſsimo Sacri Montis Caſini, manuſcripto, Anno Domini 1590. menſe Auguſto*. Et Anſelmus Rolle apud Hæſtenum, *ita*, inquit, *vetus quoddam manuſcriptum Caſinenſe, cuius exemplar, ab ipſo Originali extractum, mihi communicauit R. P. Iacobus de Breul Monachus Sancti Germani à Pratis, quod quidem manuſcriptum huiuſmodi ordinationes Sancto Benedicto adſcripſit, &c.*

Quarto. Quia, vt teſtatur Andreas de Salazar, hæ ordinationes extant Gothicis caracteribus ad calcem Regulæ in manuſcripto Monaſterij Sancti Aemiliani ante nongentos annos.

CCLXVIII. His tamen non obſtantibus in contrariam ſẽtentiam pronior eſt acerrimi iudicij vir, Monaſticarumque antiquitatum ſolertiſſimus indagator Hæſtenus: & tamen fatetur, nullum ſe vidiſſe huius Opuſculi manuſcriptum; ſed tantum eius, quæ vagantur editiones. Quod ſi manuſcripta ſibi datum fuiſſet inſpicere, certè ſecuriùs de hac re iudicium protuliſſet, vt mox apparebit.

Nam in primis, Hæſteni argumentum à ſilentio priſcorum ſcriptorum de Auctore huius Libelli (*neque enim Benedictus Abbas Ananienſis, neque Sigebertus Gemblacenſis, neque Honorius Auguſtodunenſis, neque Trithemius illum Sancto Patri*

Bene-

Benedicto adſcribunt) multò fortiùs vrget in noſtris Caſinatibus, quibus Sancti Patris ſcripta multo, quam alijs notiora eſse debuiſsent. Quis etenim ſibi perſuadeat, primos illos Patres noſtros, Fauſtum, Gordianum, Theodemarum, Paulum Diaconum, Bertharium, Ioannem Primum, Leonem Oſtienſem, Petrum Diaconum, in verbis; nè dum in ſcriptis Sancti Patris poſteritati tranſmittendis, diligentiſſimos, in hac tantum lucubratione, vel inquirenda, vel aſſerenda, vſque adeò incurioſos fuiſse, vt neque illam indagare potuerint, neque vllum nobis illius indicium reliquerint? Quis credat, nullam illius poſt Sanctum Patrem Benedictum apud Caſinates manſiſſe memoriam? Petrus enim Diac. in libro de viris Illuſtribus cap. 1. præter Regulam adſcribit Sancto Patris duas tantum epiſtolas. Neque de hoc Opuſculo meminit. Ex multis etiam Tabulis noſtræ Bibliothecæ, quæ hoc Opuſculum continent, nulla eſt, quæ illud inſcribat Sanctó Patri. Codex enim, in quem CCLXIX.
incidit Vuion, & ex quo tranſcripſit ſuam editionem, licet nunc ſit in noſtra Bibliotheca; noſter tamen ab initio non fuit, ſed adſcititius. Nã, & non eſt ſignatus numeris antiquis cæterorũ Codicum, & in cenſu librorum noſtrorum non reperitur, & priuatæ potiùs ſupellectilis fuiſſe apparet ex aureo ornatu, & concinna ligatura, quã præſefert: Sed neque vetuſtiſſimus eſt, vt credidit Vuion. Vix enim excedit ſeſquiſeculum: cum referat ſimilibus caracteribus, inter alia, vnionẽ Congregationis Sanctæ Iuſtinæ cum Monaſterio

Caſi-

Caſinenſi, quæ centum quinquaginta quinque annos non ſuperat. Quare Codicem illum, aut initio prædictæ vnionis, aut poſt illam è Sanctæ Iuſtinæ, vel alio noſtræ Congregationis Monaſterio hùc deportatum certò credo, & Bibliothecæ deinceps deputatum.

CCLXX. Vetuſtiores autem Tabulæ Caſinenſes, Langobardicis caracteribus exaratæ, ad quas Vuionis inquiſitio non penetrauit, & præcipuè Codex, quem vocant Pauli Diaconi, ab Abbate Ioanne tranſcribi iuſſus circa annum Domini 930. continent quidem hoc Opuſculum, neutiquam tamen inſcribunt illud Sancto Patri Benedicto; ſed ſimplici hoc titulo illud reddunt. *Ordo, qualiter agendum ſit Monachis in Monaſterÿs conſtitutis, & ſub Regula Beati Patris Benedicti degentibus*. Ex quibus duo mihi colligi poſſe videntur: & Opuſculum hoc antiquiſſimum eſſe: & à Caſinatibus per ea priora tempora, vt fœtum Sancti Benedicti agnitum non fuiſſe; ac proinde nõ eſſe. Quin imò Titulus ipſe non obſcurè oſtendit, hoc Opuſculum compilatum fuiſse, poſtquam Regula S. Benedicti dilatata fuerat: ait enim: ſub Regula Beati Patris Benedicti degentibus; quod tempore S. Benedicti non puto fuiſſe dicendum à quoquam. & multo minùs ab ipſo auctore. Quod ſi dicas, titulum appoſitum fuiſſe à poſteris. Ergo nomen potiùs S. Benedicti, vt Auctoris expreſſiſset? Cur enim lucem tanti nominis huic Opellæ inuiderent? Nam vt Numis ab effigie, ita Libris ab Auctore præcipuus valor, & laus eſt.

CCLXXI. Confirmat hoc mihi, ac penè conficit, quod

Theo-

Theodemar Abbas Caſinenſis, conſultus à Carolo Magno de Ritibus,& Cœremonijs ſacri huius Monaſterij in obſeruatione Regulæ, ne verbū quidem de his Ordinationibus illi reſcribit, & tamen opportuniſſimum illi incidiſſet. Ait enim: *En vobis Regulam eiuſdem Patris de ipſo Codice, quē ille ſuis ſanctis manibus exarauit, tranſcriptam, direximus: in fine autem ſacræ eiuſdem Regulæ hymnos, qui ſecundum inſtituta Beati Patris noſtri per ſingula officia, vel feſtiuitates cantari debent, annexuimus*. Hæc Theodemar, ſiue Paulus Diaconus. Cum igitur hymnos miſerit, quis non videt, quā opportunum ipſi fuiſſet, hunc etiam Libellū Carolo tranſmittere? Ergo & Diuum Benedictum non agnoſcit Auctorem, & fortè tempore Theodemari non adhùc extabat, neque à Caſinenſibus noſcebatur. Quod roborat conjecturam Hæſteni, & Menardi, qui illud adſcribunt Sancto Benedicto Ananiæ Abbati, contemporaneo Ludouicij Pij, Succeſſoris Caroli Magni.

Præterea, ſi hæ Ordinationes fuiſſent Sancti Patris Benedicti, earū proculdubio obſeruantia apud primos Caſinates irrefragabilis viguiſſet; cum tamen nullum de illis apud noſtros veſtigium, vel traditio. CCLXXII.

Amplius. Hoc Opuſculum loquitur de Regula tamquam promulgata, & longo vſu recepta: appellatque illam *Regulam noſtram*, quod dicturum non fuiſſe Sanctum Patrem crediderim: neq; enim vnquam illam appellat *noſtram*, ergo illud *noſtram* non ad Benedictum, ſed ad Benedictinos referri debet.

Adde,

Adde, in hoc Opuſculo præſcribi, legendam Regulam in Capitulo, quæ videtur Poſterorum inſtitutio, vt ex ijs, quæ in titulum Regulæ notauimus; non enim latuiſſet Regula, ſi publicè in Conuentu lecta fuiſset. Vlteriùs. In eodem Opuſculo præſcribitur legendum Martyrologium, & *Pretioſa*. Sed ex doctrina Caramuelis n.1365. *Pretioſa* non eſt pars Officij monaſtici, nec præſcripta à Diuo Benedicto, ſed inuenta fuit longo tempore poſt Diuum Benedictum, ergo hoc Opuſculum ex ipſo Caramuele non eſt Sancti Patris.

Neque illud omiſerim, quod ſi ad conficiendã hanc Regulæ praxim applicuiſset animum ipſemet Regulæ Auctor, quot quæſo plura promptum ipſi fuiſset addere,& explicare? quot etiam dimiſiſset, quæ iam in Regula idem expreſserat?

CCLXXIII. Item quàm legitimum, quàm expeditum fuiſſet noſtris expoſitoribus ſenſum Legislatoris in multis Regulæ locis ex hoc Opuſculo explanare, ſi illud Sãcti Patris dictatum exiſtimaſsent? Certè id ſaltem faciendum erat ad caput 8.Regulæ, vbi de interuallo inter nocturnos, & Laudes, & tamen nec illius vnquam vtuntur contextu, nec minimum de illo verbum fecerunt.

Poſtremò non leue mihi eſt argumentum à variantibus huius Opuſculi Lectionibus: quamplurima ſiquidem reperies in hac noſtra editione, quæ aut penitùs abſunt, aut diuerſa ſunt à vulgatis editionibus: Qua licentia addendi, immutandi, demendi, in textum Sancti Patris auſurum fuiſse neminem reor.

Alias dubitandi rationes affert Hæſtenus, & præſertim ex phraſibus,& vocabulis huius libelli, Sancto Patri noſtro non vſualibus. Quibus ego addo nomen *Completa* Sancto Patri ignotū, quod repertum in Codicibus noſtris, vacat in editione Hæſteni.

Quibus omnibus ita perſuadeor, vt ſine hæſitatione auſim aſserere, Opuſculum hoc Beato Benedicto Caſinenſi non adſcribendum. Neque oppoſitæ opinionis Auctores aliquid à me ſuis impetrant coniecturis.

Nam, quod in antiquiſſimis Codicibus Sancto Patri noſtro inſcribatur, fidenter aſsero falſum eſse. Et ſanè ex antiquioribus membranis Caſinenſibus contrarium potiùs colligitur, vt notauimus. CCLXXIV.

Quod autem hæ ordinationes repertæ fuerint in fine Regulæ Beato Mauro traditæ, nihil probat; niſi vnà ſimul oſtendatur, eas ipſas Ordinationes fuiſse Sancti Patris manu, & nomine ibi conſcriptas. Quod quidem licet ſit res facti, & ab oculis potiùs, quàm ab intellectu dijudicanda: adhuc tamen inuerisſimile id mihi ſuadetur ex dictis. Neque id tacuiſset Fauſtus in vita Beati Mauri, cum a Sancto Patre Regulam propria manu exaratam, pondus panis, & menſuram vini, illi tradita in diſceſſu, aliaque munuſcula poſtridie ad illum miſſa, minutiſſimè referat.

Petrum verò Cluniacenſem has ordinationes ſibi tranſmitti petijſſe teſtatur quidem allata inſcriptio: ſed quid Petrus de illarum Auctore ſen-

ſerit, nullus teſtatur. Inſcriptionem itaq; illam, *Hæc verba Sanctiſsimi Patris Benedicti, &c.* à recentiori manu, & per errorem appoſitam Opuſculo fuiſſe, minimè nutabundus affirmo.

Tertio argumento abundè ſatisfactum eſt ſupra. Tabulæ Caſinenſes tantùm abeſt, vt affirmátibus faueant, quin potiùs negantibus ſuffragantur. Codex enim Vuioni obuius, neque vetuſtus eſt, neque Caſinenſis, vt ſupra.

Ad quartum aſſerit quidem Andreas de Salazar reperiri hoc Opuſculum, in ſuo Sancti Aemiliani Monaſterio ab annis nongentis: At Diuo Patri Benedicto in illo Codice inſcribi non aſſeruit, neque fortè aſſerere id iure potuit. Extat etiam eiuſdem ferè ætatis apud nos, ſed Sancto Patri non inſcribitur, vt prædiximus. Adſcribendum profectò, ſi illius creditum fuiſset.

CCLXXV. Cum ergo Legislatori noſtro Benedicto adſcribi nequeat, cui tandem adſcribendum? In tanta ſeculorum caligine non eſt facilè diſcernere, niſi velimus diuinare. Menardus, & Hæftenus ſuſpicantur, Auctorem illius fuiſse Sanctum Benedictum Abbatem Ananienſem, & Indéſem, cuius zelo, & opera cum Ludouicus Pius vteretur in reformandis Monaſterijs Galliæ, non eſt alienum opinari has ordinationes à prædicto Benedicto compoſitas, ipſique Regulæ, tanquam Appendices, & explicationes annexas, & Imperatoris auctoritate promulgatas, vt proinde Monachi in eodem Codice cum Regula eas ſcriptas habuerint. Proceſsu verò temporis repertæ in fine Regulæ ſub nomine Sancti Benedicti Abba-

tis,

tis, ſine diſtinctione Caſinenſis, vel Indenſis, idē titulus ſanctitatis, idem Benedicti nomen, eadēque dignitas Abbatialis, vtrique Benedicto communis, errori occaſionem dederunt, vt pro Benedicto Indenſi, Benedictus Caſinenſis illarum auctor crederetur. Qui error ſemel ortus, facilè potuit propagari, tanquam de re, neque tunc diſputata, neque alicui odioſa.

Hæc de Auctore. Sed nunc tandem Opuſculum ipſum ex noſtra Bibliotheca promamus.

OPVSCVLVM PRIMVM.

Ordo qualiter agendum ſit Monachis in Monaſterijs conſtitutis, & ſub Regula Beati Patris Benedicti degentibus.

NOcturnis horis, cum ad opus diuinum de lectulo ſurrexerit Frater, primùm ſignum ſanctæ Crucis imprimat ſibi per inuocationem ſanctæ Trinitatis, deinde dicat verſum Domine labia mea aperies, inde Pſalmum, Deus in adiutorium meum intende, & in finem Gloria Patri. Tunc prouideat ſibi corpoream neceſſitatem naturæ, & ſic ad Oratorium feſtinet ſpſallendo Pſalmum, Ad te Domine leuaui animam meam; intrans cum ſumma reuerentia, & cautela, vt, alijs orantibus non impediat. Tunc, proſtratus in loco congruo, effundat preces in conſpectu Domini, magis corde, quàm ore; ita vt illius vox CCLXXVI.

vicinior ſit Deo, quàm ſibi. Tunc referat gratias
Deo Creatori ſuo, ita dicendo: Gratias tibi ago Omni-
potens Pater, qui me dignatus es in hac nocte cuſtodi-
re, deprecor Clementiam tuam pijſsime Domine, vt
concedas mihi diem venturum ſic peragere in tuo sã-
cto ſeruitio cum humilitate, & diſcretione, qualiter
tibi complaceat ſeruitus mea, & præſta mihi hodie, cũ
ſumma patientia tibi gratum exhibere ſeruitium. Cũ
verò nouiſsimum ſignum ſonuerit, tunc omnes ſint
parati ſtantes in loco ſuo in Choro per ordinem, & cũ
ceperint cum ſumma humilitate, & honeſtate refe-
rant laudes Creatori ſuo in conſpectu Angelorũ eius,
Et ſi alicui frequens tuſsis, aut flegma ex pectore, vel
naribus excreſcit, poſt dorſum proijciat, aut iuxta la-
CCLXXVII. tus; cautè tamen, & curiosè, vt infirmis mentibus nõ
vertatur in nauſeam, & ſemper quod proijcitur, pede
conculcetur, vt, cum ad orationem curuantur, veſti-
menta eorum non ſordidentur, & infra Eccleſiam, vel
in omni Conuentu, ſeu & in Atrio, vel in Porticu hoc
obſeruandum eſt, vt quod ſpuitur ſemper pede con-
culcetur. Poſt expletionem vigiliæ nocturnæ ſilentium
fiat, tam in voce, quam in actu, vel in inceſſu, ſeu ſo-
no alicuius rei; vt liceat vnicuique, abſque alterius
inquietudine, peccata ſua cum gemitu, & ſuſpirio, vel
lacrymis confiteri, & veniam, vel remiſsionem pro
ipſis ab Omnipotente Domino flendo poſtulare. Cum
autem inchoante Aurora, diei ſignum ſonuerit, omnes
feſtinanter occurrant cum hilaritate cordis; ac quaſi
Deum clementem, miſericordem ſibi placatum factũ,
matutinas laudes prompta voluntate, & ſincera men-
te, vocibus modulatis, nec nimis productè, nec multũ
correptè cum ſumma grauitate, & honeſtate perſolue-

re.

Digitized by Google

*re. Expleta autem matutina laude præcipuum fiat ſi-
lentium iñ orando, vel legendo, vel certe ſibimet ve-
ſtiendo, & facies lauando. Si autem manifeſta neceſ-
ſitas fuerit alicui aliquid loqui ante Capitulum, illi
fratres, quos neceſſitas compellit loqui, diuertant ſe
ſeorſum, vt alios non impediant. Dicant verſum ſuũ,* CCLXXVIII.
*per quem ſilentium ſoluitur, & ſic loquantur. Iterum
conuenientes ad Primam, dum percompletur ipſum
Officium, ante Pſalmum quinquageſimum, donẽt con-
feſſionem ſuam viciſſim puriter, pro ſimplici corde,
certatim pro ſe orantes. Hoc expleto, conueniant ad
Capitulum, & aduerſa facie ad Orientem, ſalutent
Crucem, & cæteris fratribus ſe vndique humilient.
Similiter faciant, & in omni Conuentu, & petat be-
nedictionem Lector, & recitentur nomina Sanctorũ,
quorum feſta craſtinus excipiet dies, & ſurgentes pa-
riter dicant verſum, Pretioſa in conſpectu Domini
mors ſanctorum eius. Inde dicat presbyter Orationem
hanc. Ipſi & omnes Sancti Dei intercedant pro no-
bis; vt mereamur à Deo adiuuari, qui viuit, & regnat
in ſæcula ſæculorum Amen. Deinde dicatur verſus
ad ſoluendum ſilentium, ideſt, Deus in adiutorium* CCLXXIX.
*meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina,
tribus vicibus, Priore incipiente, cæteris autem re-
ſpondentibus id ipſum tertio, ſubiungentes Gloria
Patri, & flectentes genua orent, & dicat Prior,
Et ne nos inducas in tentationẽ. Cæteri reſpondeant,
ſed libera. Surgentes iterum, dicant verſum pari-
ter, Reſpice in ſeruos tuos, vſque in finem Pſalmi ſub-
iungentes Gloria Patri, humiliato corpore. Poſt hunc
ſequatur hæc Oratio à Priore, Dirigere, & ſanctifica-
re digneris, Domine Ieſu Chriſte, Fili Dei viui, hodie*

cor-

corda,& corpora noſtra in via tua,& in operibus manuum tuarum, vt hic,& in æternum per te ſalui eſſe mereamur Saluator Mundi, qui viuis,& regnas in ſæcula ſæculorum : reſpondent omnes, Amen. Dicat Prior Adiutorium noſtrum in nomine Domini: reſpō-
CCLXXX. dent cæteri, qui fecit Cælum, & Terram. Tunc legatur Lectio Regulæ. Poſt hæc, qui culpabilis eſt poſtulet veniam, & ſecundum modum culpæ iudicium recipiat. Et tam in Capitulo,quam & in quolibet Cōuentu, vel loco,quando veniam poſtulat Frater ab Abbate, vel Præpoſito, vel Decano,vel certe à qualicumque de ſenioribus; cum ille Prior dixerit, quæ eſt cauſa Frater? ille, qui veniam poſtulat primum omnium reſpondeat,mea culpa Domine. Si exinde aliud quodcumque ante dixerit, iudicetur exinde culpabilis. Poſtea dicat Abbas,vel cæteri, quibus obedientia iniuncta eſt, quicquid neceſſarium eſt, & vtile in cōmuni neceſsitate. Quicumque exinde Frater veniā poſtulat pro culpa,quanto plus ſe humiliauerit,& culpabilem aſſeruerit, tāto miſericorditer lenius à Priore iudicetur. Neceſsitas, vt omnes noſtræ neglegentiæ, ideſt cogitationum linguæ, vel operis in præſenti vita per veram confeſsionem, & humilitatem ſemper iudicentur; vt non poſt mortem nos reos faciant. Surgentes à Capitulo ſimul omnes ſtantes dicant tribus vicibus, Priore tamen incipiente, verſum Deus in adiutorium meum intende, ſubiungentes Gloria, flectentes genua, poſt Orationem Dominicam ſurgentes,dicat Prior, Adiutorium noſtrum in nomine Domini, reſpondeant alij,qui fecit Cælum, & Terram. Tunc vadant,aut ſimul,aut ſeparatim ad opus ſibi in-
CCLXXXI. iunctum, cuſtodientes ſilentium, decantent Pſalmos

ſuos,

ſuos, aut pariter, aut bini, aut ſinguli, iuxta quod congruum eſt; & ſecũdum qualitatem operis, nihil aliud loquentes, niſi forte de ipſo opere neceſſe fuerit aliquid dicere, aut monere cautè, atque modeſtè: Cum exinde ad opus diuinum horis canonicis auditũ fuerit ſignum, ſicut continetur in Regula, relinquentes ſtatim quicquid in manibus habuerint, ſic tamen, vt non per neglegentiam pereat, Tunc conueniant ſimul ad introitum Oratorij, aut certè ſicut ſeparati fuerint ad obedientiam, dicant verſum, Benedictus es Domine Deus meus, qui adiuuaſti me, & conſolatus es me, tribus vicibus, vno incipiente, ſubiungentes Gloria Patri, flectentes genua orent, & oratione expleta, ſurgentes dicat Prior, Miſereatur noſtri Omnipotens Deus, reſpondentibus cateris, Amen. A Kalendris Octubris uſque in Paſcha hora nona hoc faciant. A Paſcha autem uſque Kal. Octubris hora tertia, & undecima. Omni tempore in Eccleſia ſummum ſilentium fiat, excepto, quod ad laudes Dei pertinet. Nullus ex fratribus alterum puro nomine appellet: ſed ſicut Regula præcipit, ſeniores ſuos iuniores fratres uocent: iuniores ſeniores ſuos nonnos uocent, quod eſt paterna reuerentia. Abbatem Dominum, & Patrem uocent. Iuramentum aliud nullus proferat, niſi, crede CCLXXXII.
mihi, quod in Euangelio legimus Dominum mulieri Samaritanæ affirmaſſe, aut, certè, ſeu aliud, quod Monachorum eſt conſuetudo iurandi. Si Frater increpatur, uel reprehenditur, aut corripitur à Priore qualicumque, aut ab alio quolibet, uel certè à iuniore pro qualicumque re, ſtatim cum ſumma uelocitate in faciem cadens, ueniam poſtulet, quia hæc eadem humilitas Deo exhibetur, non homini: & ſi ex corde ſinc-

ſuerit, cito indulgentiam promerebitur. Oportet ante omnia omnino, ut obedientes ſibi ſint inuicem fratres, & ipſa obedientia, ſi, recto corde oſtenditur, Deo offertur: ipſa eſt via, quæ ducit ad vitam. Citius exinde exauditur vna oratio obedientis, quam decem milia contemnentis. Vbicumque exinde ſibi obuiant fratres, iunior Priori inclinato capite dicat, Benedicite. Si iunior ſedet, tranſeunte ſeniore ſurgat, & ſi ſenior voluerit ſedere, iunior tamen, niſi iuſſus, non
CCLXXXIII. ſedeat, iuxta Regulam noſtram. Si cognoueritis aliquem ex fratribus contra alium inuidiam, aut iram modicam, vel triſtitiam in corde retinere, ſtatim corripiatur, & emendetur; & mutuo in pace ambo reconcilientur, & quantos dies hoc confiteri neglexerit, tãtos abſtineat; & ſi humiliter ſe reprehenderit, & veniam poſtulauerit, cum miſericordia iudicetur. Cum Abbas, aut certe alius è ſenioribus alicui ex fratribus aliquod opus facere præcipit, ſuſcipiat iunior cum sũma humilitate iubentis imperium; ſit auris intenta ad audiendum, ac ſi diuinitus dicatur; ſint pedes directi ad ambulandum, manus vero expeditæ ad faciẽdum; & præcipuè prompta voluntas ad obediendum: & expleto ſermone iubentis, humiliato capite, dicat, Benedicite, &, accepta benedictione, obediat. Peracta vero obedientia reuertens cum humilitate dicat ſimiliter, Benedicite, & ſemper iunior cum à ſeniore ſe ſeparat, dicat, Benedicite. Similiter, cum ſe iterum ei iniunxerit, faciat. Egrediens de Conuentu fratrum humiliato capite, dicat, Benedicite; veniens iterum in Conuentum, ſimiliter faciat. Quando aliquid inchoat, etiamſi ſolus ſit, dicat, Benedicite; quia Dominus vbique præſens eſt, reddere vnicuique ex corde poſtulanti bene-

benedictionem. Si aliquid in Cellario, in Refectorio, in Coquina, vel vbicumque frater neglexerit, perdiderit, fuderit, fregerit, aut aliquod damnum intulerit; ſtatim feſtinet ad veniam poſtulandum, & ſi talis res eſt, quam neglexit, in manu teneat, in terra proſtratus, veniam poſtulando; oſtendens damnum, quod fecit. Caueant ſe fratres de ſecularibus, vel ſuperfluo riſu, de frequenti locutione cum amicis, & parentibus; niſi neceſsitas fuerit, aut aliter rectè eſſe nō poſſit. Non loquatur frater ſolus cum fœmina. Si talis CCLXXXIV.
euenerit neceſsitas loquendi cum ea, niſi præſentibus & audientibus alijs fratribus, de quorum fide certa ſit fiducia: & hoc maxime in iuuenibus obſeruetur. Mens vero, quæ Deo vacare debet, multum impeditur ſecularium locutionibus. Non vadat quis infra Monaſterium licenter vbique voluerit; niſi obedientia vniuſcuiuſque ſibi iniuncta exigit, vel imperat. Nullius fratris in Monaſterio vox alta audiatur. Nullum opus, etiamſi bonum videatur, ſine permiſsione, vel benedictione Prioris, aliquis ex fratribus agere præſumat. Nihil dare, aut accipere, ſine permiſsione Abbatis, nihil habere proprium, niſi quod Abbas dederit, aut habere permiſerit. Abundet vnicuique CCLXXXV.
*in cibo, in potu, vel veſtimento, quantum Regula miniſtrare præcipit, niſi forte, aut infirmitas, aut ſenectus, aut aliqua manifeſta neceſsitas exiſtat, & hoc tamen ſecundum permiſsionem Regulæ Abbas diligenter *. Qui autem voluerit plus habere,* * *Deeſt aliquid*
quàm Regula permittit, occaſionem contra ſe occulti hoſtis noſtri excitare pertimeſcat. Nullus ex fratribus alteri fratri ſuo aliquod præteritum, vel turpe peccatum improperet. Si ſenior viderit neglegere iu-

 niorem,

niorem, corripiat eum prius inter ſe, & illum ſemel, & ſecundo, & tertio; de leuioribus tamen culpis; nã de aliquibus grauibus, ſi opere perpetrare contingat, ſtatim emendari oportet ſecundum Regulam. Et frater, qui caſtigare vult fratrem ſuum, non frangat, ſed magis leniter ſolidare ſtudeat, ſecundum qualitatem neglegentis; quia ſæpe deterius frangitur membri fractura, quæ incautè ligatur. Pro immundis verò, & turpibus, ac nociuis cogitationibus, vel ineptis, & otioſis ſermonibus, ſeu prauis, vel indiſcretis actionibus ſemper ad confeſsionem recurrant ad ſuum Abbatem. Melius eſt verò, vt Diabolum accuſemus pro occultis tentationibus, & malis ſuggeſtionibus ſuis, quæ nobis inferre non ceſſat; quam nos pro conſenſu culpæ commiſſæ, quia, ſi ſemper manifeſtamus iniquas eius ſuggeſtiones, minus nos nocere poterit. Humiliter reſpõdeant ſibi ſe inuicem fratres. Hora canonica, audito ſigno, feſtinanter ad Oratorium recurrant cum honeſtate, & grauitate. Nõ contendant omnino. Et ſi contigerit, qui primus tacuerit, ſapiens reputabitur. Ante horam, aut poſt horam nihil cibi, aut potus accipiant, excepto infirmi, & infantuli, quorum imbecillitas à Priore conſideranda eſt. Nec detrahat quis, nec detrahenti conſentiat. Pacem ſeminate inter vos, & verbis, & factis; & diſcordia procul abſiſtat, quia ſicut, dicente Euangelio, Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur; ita diſcordes Diabolo mancipantur: ſeculares fabulæ longæ ſint à vobis. Certis horis & conſtitutis opera manuum non neglegantur, quia virtus eſt animæ, & corporis: certis iterum horis lectionibus pleniter vacent, illi tamen, qui poſſunt. Et, ſi fieri
CCLXXXVI. *ri poteſt, in vna clauſtra ſedeant tempore lectionis, vt*

ſe

ſe inuicem videntes, ſe inuicem cohortentur, & ſub
ſilentio legant: Et nec vnus ad alium iungatur, niſi
neceſsitas diſcendi expoſcerit; ipſum tamen ſine in-
quietudine alterius fiat. Aeſtiuo exinde tempore poſt
prandium vnuſquiſque ad proprium lectulum vadat
cum ſumma cautela, & ſine alicuius perturbatione,
aut legat ſub ſilentio, aut dormiat. Nullus ex fratri-
bus aliquid dicat ſuum, ſemper noſtrum: hoc ſolum-
modo oportet dicere proprium, ideſt, mea culpa, aut
meum peccatum; vel vitium: omnia, quæ Deus tri-
buit communia nobis eſſe debent, peccata exinde ex
noſtra fragilitate oriuntur. Prouidendum magnope-
re eſt, vt iuſsio Abbatis de qualicumque re ſollicitè
impleatur, quia hæc eadem obedientia, ſi recto corde
perficitur, Deo exhibetur; & ſi, quod abſit, neglega-
tur, aut corde, aut opere, aut tarditate, cito iunior ad
veniam currat poſtulandam &, quod corde delinquē-
te neglexerat, veniam poſtulando recuperet, & Deo
acceptam obedientiam expleat, quia vera obedientia
cæteris virtutibus præfertur. Quando in choro ad CCLXXXVII
pſallendum ſtatis, conſona, & concordi voce pſallite,
& illi incipiant verſus, qui præ cæteris vtilius poſ-
ſunt; ita vt ad primam ſyllabam, vel ſecundam cæ-
teri conuenire poſsint, & ſemper iuniores verſus pro-
nuntient alta voce. Ad horam vero refectionis poſt
expletionem diuini Officij expectent in Eccleſia, in
Choro, tacite pſallentes; cum autem audierint ſignum
citò, & ordinate ſine vllo ſtrepitu feſtinent lotis ma-
nibus introire in Refectorium, ſalutantes Crucem,
verſis vultibus ad Orientem, & cum ſecundo ſignum
ſonuerit ad menſam omnes congregati ſimul dicant
verſum, & Orationem Dominicam, inclinato corpo-

re,& data benedictione à Priore, ſedeant ſinguli or-
dine ſuo ad menſam cum ſummo ſilentio ; & nullus
præſumat prius quicquam cibi accipere, aut potus, quã
Abbas ; ipſe tamen in percipiendo non faciat morã:
cum primum accipiunt panem dicant fratri ſuo ſum-
CCLXXXVIII. miſſo capite, Benedicite, & ille reſpondeat, Deus: ſimi-
liter faciant de potu cum primum biberint. De cæte-
ris exinde pulmentarijs, quæ tunc in menſa ſunt, non
eſt neceſſe amplius benedictionem petere. Et antequã
incipiant cibum ſumere, petat Lector benedictionem,
& incipiat legere, &, ſicut docet Regula, nullius vox
ibi audiatur, niſi ſolius legentis, niſi fortè pro ædifica-
tione aliquid de ipſa Lectione breuiter dicatur à
Priore : poſtea autem quicquid pulmentarium ex co-
quina miniſtratur, frater, qui miniſtrat, à nouiſsi-
mis incipiat, & vſque ad Abbatem miniſtrando per-
ueniat ; & cum in vltimo ante illum poſuerit, tunc ſi-
gnum faciat, qui miniſtrat, tacitè, & dicant fratres
omnes, Benedicite, æquali voce, & producta. Data
benedictione expectent, ſicut iam diximus, vt Abbas
prior accipiat, poſtea dicentes ſinguli alterutrum Be-
nedicite, & ſic ipſi accipiant. Quando Prior benedi-
cit cibum, vel potum vel aliud quicquam, non ſeden-
CCLXXXIX. do, ſed ſtando benedicat. Si autem cum calicibus, &
mixtum fuerit paratum, Cellararius faciat ſignum
modicè ad miniſterium, & ſtatim ſurgant iuuenculi
ad miſcendum, & loti calices impleantur aqua men-
ſura ; &, venientes ante menſam Prioris, ſtent ordi-
nate ſicut ſunt conuerſi. Tunc Cellararius iterum ſo-
net cimbalum tacitè, & dicãt fratres, Benedicite, vna
voce, & productè ; & data benedictione à Priore, re-
ſpondentibus omnibus, Amen, productè, propinen-
tur

tur fratres, incipiẽtes ab Abbate. Iunior, qui dat calicem in manus ſedentis, caput inclinet humiliter, & qui accipit, humiliato capite agat gratias Deo, qui dat dicat, Benedicite, & cum reddiderit vterque caput inclinent humiliter. Cum enim expleuerint opus miſcendi inclinent ſe pariter, & ordinate Abbati ſuo, & in circuitu omnibus fratribus, & ſic vadant ad menſas. Poma autem, vel quælibet naſcentia terræ cruda, quæ comedenda ſunt, ſiue hora prandij, ſiue cænæ æqualiter cum alio cibo ad menſam antequam fratres reſedeant à Cellarario vnicuiq; fratri æqualiter partiantur; & ſtatim poſt alium cibum, vel ante cum alijs pulmentis illic ad menſam ſubiecta comedantur. Expleto cibo, finiatur & Lectio; & facto ſigno vno ictu in cimbalo, bibant, qui voluerint de eorum cuppis. Surgentes à menſa dicto verſu ſiniſter Chorus exeat CCXC. *prius ordinate, dexter exinde poſterior, nouiſsime Abbas, pſallentes, & pſalmum quinquageſimum diſtincte, & non feſtinanter. Cum introierint Oratorium pſallentes, inclinent ſe, & iterum ſe erigant vſque ad Gloriam. Ad Gloriam vero flectant genua. Poſt Orationem Dominicam, & Capitula, ſurgentes vadant cum ſilentio ſecundum, quo tempus cõgruit, ideſt æſtatis tempus ad lecta ſua, hyemis vero tempus ad Lectionem, aut Pſalmos: Poſt hæc, vel Veſperæ, hora cõpetenti facto ſigno, omnes in vnum conueniant ad cõuentionem veſpertinam. In diebus ieiunij paruum fiat interuallum poſt Veſperum; in diebus prandij, & cænæ paruiſsimum; & mox accedant ad lectionem, legantur quæ ædificent audientes quantum hora permittit, & ſicut præcipit Regula, & omnes quibuſcũq; neceſsarijs obedientijs occupati fuerint, infra ſpatium*

huius

huius lectionis occurrāt. Finita lectione ſurgant omnes pariter, & dicat Abbas, Aditorium noſtrum in nomine Domini, reſpondeant omnes, Qui fecit Cælum, & Terram, & recepto ſilentio nocturno cum re-
CCXCI. *uerentia intrent Oratorium ad Completam. Orent cum intentione cordis mentis, & dent confeſsiones ſuas alternatim: & incipiant Completorium. Clara luce diei expleto eodem officio, ſummo ſilentio exeant, hoc cuſtodientes, & ore, & corde fiant orationes ſecretè cum recordatione peccatorum, & deſiderio vitæ æternæ cum lacrymis, & gemitu, vel ſuſpirio; ita vt nullus alio noceat, vel impediat. Tunc iterum agant gratias Deo dicendo hæc. Or. Gratias tibi ago Domine Sancte Pater Omnipotens, qui me dignatus es in hac die cuſtodire per tuam ſanctam miſericordiam, concede mihi hanc noctem tranquillo, & mundo corde, & corpore ſic pertranſire, vt puriter ad vigilias ſurgens, gratum tibi ſeruitium exoluere poſsim. Et cum magna cautela ambulent de Eccleſia in dormitorium, & cum ad proprium ſtratum venerit frater, & ſe collocauerit, dicat Pſalmum Deus in adiutorium meum intende, & poſt Gloriam dicat verſum, Pone Domine cuſtodiam ori meo, & ſic ſigno ſanctæ Crucis vallatus cum inuocatione Sanctæ Trinitatis opportuno ſomno opportunè quieſcat.*

VARIÆ LECTIONES, & Notæ.

CCXCII. OPuſculi huius exemplum; quod ex noſtris vetuſtiſſimis tabulis emittimus, vt ſupra, in tā multis diſcrepat à vulgatis editionibus Vuionis,

nis, Hæſteni, Caramuelis, Salazar, & aliorũ; vt ſi diſcrepantiæ ſingulos locos conferre hìc vellemus, pene totum reſcribere cogeremur. Hanc igitur curam curioſi Lectoris arbitrio relinquentes, pauca tantùm libet adnotare.

Noſtræ membranæ nullam in hoc Opuſculo referunt diſtinctionem Capitum. Variant Titulus, Initium, Finis. Multò copioſior, multo explicatior, concinnior textus noſter.

Gratias tibi ago Omnipotens Pater] Huic orationi deſunt aliqua in Vulgatis.

Cautè tamen, & curioſè] Alij legunt, *Caueat autem curioſè*. Sed noſtram Lectionem quis nõ probet, vt meliorem? Nam illud, *Cautè*, *& curioſè*, aptius refertur ad verbum, *Proijciat*, quàm ad illud, *Ne vertatur in nauſeam*.

Curioſè] Ideſt circumſpiciendo diligenter.

Cum ad orationem curuantur] Vulgatæ habẽt, *Dum ad orationem curritur*; ſed ineptè. Decentiùs; *curuantur*, vt ex contextu.

Infra Eccleſiam] *Infra* pro *Intra* frequentiſſimè vſurpatur à veteribus. *Infra Ciuitatem Beneuentanam*. Alexander Secundus. Calixtus Secundus, & alij Pontifices, & auctores.

Cum hilaritate cordis, ac quaſi Deum clementem, miſericordem ſibi placatum factum, etc.] Pulchrè, cũ hilaritate cordis, eo quòd Deum ſibi placauerint. Alij legunt. *Cum humilitate cordis, quaſi ad Deum clamantes, ac miſericordia ſibi placabilem factum*. Verùm, quid clamant, ſi iam Deus placabilis eſt factus? *Clementem* igitur legendum, non *Clamantes*. Noſtram tamen Lectionem fateor eſſe aliquantò ſuſpenſam.

Ma-

CCXCIII. *Matutinas laudes*] Obſeruat Hæſtenus, nunquam à Sãcto Patre officium auroræ vocari *Laudes*. Nam in Regula nomine Laudum intelligit Pſalmum *Laudate Dominum de Cælis*, cum duobus ſequentibus.

Vel certè ſibimet veſtiendo, vel facies lauando.] Nihil de hoc in Vulgatis.

Recitentur nomina Sanctorum: dicant versũ Pretioſa] Hæc pars officij non fuit præſcripta à noſtro Legislatore in Regula, ſed teſte Caramuele longo poſt tempore introducta in officio Monaſtico ex Romano.

CCXCIV. *Verſum, per quem ſilentium ſoluitur, etc.*] Et hæc deſunt in editis. Verſus autem ad ſoluendum ſilentium infra declaratur eſſe, *Deus in adiutorium meum intende*.

CCXCV. *Tunc legatur lectio Regulæ*. Vacat hæc ordinatio in alijs. Ex quo loco non obſcurè apparet, hanc nõ eſſe inſtitutionem Sancti Patris Benedicti, quo viuente, Textus Regulæ non legebatur publicè in Conuentu, vt ſupra obſeruauimus.

Quæ eſt cauſa Frater] Hanc formulam inuenio etiam in expoſitione Regulæ, quam Pauli Diaconi crediderunt maiores noſtri, cap. 55. & in Sicilia perſeuerat hìc idiotiſmus noſtra ætate.

Neceſsitas] Ideſt, *neceſſe eſt*.

Decantent Pſalmos ſuos, aut pariter, aut bini, aut ſinguli.] Cæteri legunt. *Decantent Pſalmos, aut Pater noſter, aut bini, &c.* Sed apertè præferenda noſtra Lectio. *Decantent Pſalmos, aut pariter*, ideſt omnes ſimul, ſi omnes ſimul ad opus exierint, *aut bini, aut ſinguli*, ſi bini, aut ſinguli laborauerint. Et

ita

ita legendum eſſe colligitur ex contextu ibi. *Vadant aut ſimul, aut ſeparatim, & ibi dicant pariter verſum*, ideſt ſimul. Pariter pro ſimul vſurpauit etiam S. Pater Benedictus cap. 53. Orent pariter. & Lucas act. 2. & qui credebant, erant omnes pariter, ideſt ſimul.

Sicut ſeparati fuerint ad obedientiam] Vulgati, *Aut certe ſint parati ad obedientiam*. Sed quorsũ hìc noua obedientia? Melius noſtri. Nam ſenſus eſt, conueniant ad oſtium Oratorij, aut omnes ſimul, ſi ſimul operati fuerint: aut ſeparatim, ſi ſeparatim opera impleuerunt. CCXCVI.

Hora nona hoc faciant] Hæc lectio diſcrepat à Vulgatis, & à Textu Regulæ.

Eccleſia] Inuſitata Sancto Patri vox, vt obſeruauit Hæftenus. CCXCVII.

Abbatem Dominum, & Patrem vocent] Aliqui legunt *Domnum*. At contra fidem noſtrorum, tum hìc, tum in Regula. Sic alibi in præſenti Opuſculo. *Mea culpa, Domine.* num. 280.

Iuxtà Regulam noſtram] Ideſt iuxtà Regulam, quam profitemur nos Benedictini. Quod non dicturum fuiſſe Sanctum Benedictum ſupra notauimus.

Nõ loquatur frater ſolus cum fœmina.] Nihil de hoc in Vulgatis. Certè cautela loquendi præſentibus alijs, prudentius præſcribitur reſpectu fœminæ, quam generaliter reſpectu omnium ſecularium, vt eſt in editis.

Abundet vnicuiq; in cibo, &c.] Mendum hìc irrepſiſſe ſuſpicor, quod alij emendent. Fortè quod hìc legitur Abundet, legendum, *Abbas det*. CCXCVIII.

Minus nos nocere poterit.] *Nos*, pro *Nobis*. Iuxtà illud Pſalm. 34. *Iudica Domine nocentes me*. Plaut. Mil.glor. ſcena vltima. *Iuro per Venerem, & Martem, me nociturum neminem*.

Excepto infirmi, & infantuli] Illud, *Excepto*, ſtat aduerbialiter; ideſt, præterquam infirmi; ex vernacula locutione, *Eccetto gl'infermi, e i fanciulli*.

Certis iterum horis lectionibus pleniter vacent] *Cæteris horis*, legunt communiter. Sed non ita vniuerſalis eſt Regulæ inſtitutio. Non enim cæteris horis legendum, ſed certis, & determinatis.

In vna Clauſtra] Fœminino vtitur pro Neutro, ideſt in vno Clauſtro, in fœminino etiam reperitur in Codice Abbatis Ioannis, ſiuè Ruthardi c. 35. Regulæ. *Scopant totas Porticus Clauſtræ*. Sanctus tamen Pater Benedictus vtitur hoc nomine in genere neutro cap. 4. *Officina verò, vbi hæc omnia diligenter operemur Clauſtra ſunt Monaſterij*, & etiam cap. 67. vt vel hinc hoc Opuſculum S. Patri adſcribi non debeat.

Cohortentur] Perperam legũt alij, *coarctentur*.

Poſt prandium vnuſquiſque ad proprium lectulum] Alij, *locum*, pro lectulo repoſuerunt.

Poſt expletionem diuini Officij] Poſteriora verba vacant in cæteris.

Signum] Alij, *Cymbalum*.

Et cum ſecundum ſignum ſonuerit] Deſunt in Vulgatis.

Tacitè] Ideſt, modicè, vt infra explicat.

Cellararius faciat ſignum modicè ad miniſterium] Alij, *ad miniſtrum*. Melius noſtri in hac, & in ſequentibus periodis.

Bi-

Bibant, qui voluerint de eorum cuppis] Et hoc vacat apud alios. Vſum bibendi in cuppis teſtaceis ex antiquo ritu adhuc ſeruamus.

Poſt Orationem Dominicam, & Capitula] Capitula intellige, verſus, qui dicuntur in gratiarum actione, vide num. 46.

Ad conuentionem veſpertinam] Ideſt, ad Collectam, & Congregationem, ad audiendam lectionem collationum.

Et recepto ſilentio] Optimè. Nam ante completorium indicebatur ſilentium. Malè autem Vulgati, *Et recte cum ſilentio*. CCXCIX.

Ad Completam] Vox ignota Beato Benedicto.

Cordis mentis] Ad diſtinctionem, cordis pectoris.

Clara luce diei expleto eodem officio] Ex præſcripto Regulæ; & hoc vacat in editis.

Opportuno ſomno opportunè quieſcat] Vulgati, *Dormiat in Domino*, ſed numquid moriturus? Dormire enim in Domino, pro mori ſolet accipi. Melius ergo Codices noſtri.

OPVSCVLVM SECVNDVM.

Sermo Sancti Patris Benedicti, è Sublacu Caſinum demigrantis.

POſtquam clarus virtutibus Apoſtolicis, atq; ſignis Sublacenſem oram multis annis illuſtraſſet Pater Sanctiſſimus, Presbyteri Florentij inuidam perſecutionem declinans, diuino moni- CCC.

Digitized by Google

tu Caſinum, ad Idolorum ſuperſtitionem inde exterminandam, tranſmigraturus, conuocatis Alumnis ſuis, Vale illis dixiſſe ſequenti alloquio, refertur in vita Sancti Placidi.

AVdite me fratres, & filij, cohæredes, & ſocij in promiſſo Regis æterni. Nã mihi Dominus meus Ieſus Chriſtus præcepit, vt ad culturã Idolorum exterminandam, æternæque obliuioni tradendam Caſtrum petam Caſinum, ideoq; voluntas Dei noſtris voluntatibus modis omnibus anteponẽda eſt. Noſtris prætereà, & benè noſtis, quantos dolos, quantaſq; inſidias Florentius Presbyter intulit, qui me veneno interficere, & diſcipulorum meorum Placidi, & Mauri animas extinguere voluit. Quapropter cedendum loco eſt, iuxtà illud æterni Regis eloquiũ. Si vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Et quia ità eſt, inſioque eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti imminet, parere debemus, eundum eſt. Super hoc autem, & illa nobis lex eſt, vt viſcera pietatis omnibus aperiamus, & fraterna charitatis amore omnibus mortalibus iuuamen conferamus, ſicut & nos accepimus à Domino Ieſu Chriſto. Vos autem ſtate, & permanete in gratia, & conuerſatione ſancta religionis, proculdubio ſcientes, quia quanto ſtudioſius in ſpiritualibus diſciplinis permanſeritis, tanto maiora præmia in futuro examinis die percipietis.

OPVSCVLVM TERTITM.

Sermo eiuſdem ad S. Placidum è Caſino in Siciliam abeuntem.

VItam, & Martyrium Beati Placidi Prothomartyris Benedictini, poſteritati mandauit, cum eſſet Conſtantinopoli iuſſu Iuſtiniani Imperatoris oculatus teſtis Gordianus, græcą quidem lingua, ſed latina, vt reor, fide. Hanc tamē narrationem habemus apud Surium, & alios adeò implexam, confarcinatam, & ineptè aſſutam, vt Centonem veriùs, quàm hiſtoriā præſeferat. Vbi non Gordianus ipſe, ſed alius de Gordiano loquens inducitur. A cuius calamo (qui fortè illam Latinā fecit, ſed græca fide) vitia illi inuſta fuiſſe arbitror, in quibus Baronius, alijq; offendiculum inuenerunt. Cæterū, qui ad illius hiſtoriæ lectionem nō oſcitanter acceſſerit, facili negotio diſcernere poterit frumentum à zizanijs, & quæ Gordiano, quæ cōfarcinatori tribui iure debeant, aduertere. CCCI.

Refert igitur Gordianus, quod, cum Tertullus Romanus Patritius, B. Placidi filij ſui interuentu, multa prædia in Sicilia donaſſet S. P. Benedicto, cui iam primogenitum ſuum donauerat; poſtquā bona illa in ius, & poſseſsionē ſanctorū virorum deuenerant, à vicinis per auaritiam, & iniuriam ita deripiebantur, vt Procuratores nec ea defendere poſsent; nec debitum pro eis cenſū à Colonis exigere. Id Meſsalinus, & Cilius Terrulli amici S. P. Benedicto per nuntium, & literas innoteſcere

ſcere ſtuduerint. Quo audito Sanctiſſimus Pater vniuerſam Monachorũ congregans concionem, ſiculorũ nunciata eiſdem per ordinem pandit; & eiuſdem Congregationis conſilio B.Placidum in Siciliã mittere decreuit,qui & paterna,& ſui propria reuerẽtia,atq;auctoritate bona illa præceteris tueri poſſet. Placidũ itaq;ſic legitur allocutus.

CCCII. *Ad ſuſcipiendum militiæ laborem,dilectiſsime,accinge ſicut vir lumbos tuos, quem per me nunc tibi dat Rex omnium Chriſtus, qui factus eſt obediens vſque ad mortem. Reminiſcere igitur ſermones eius dicentis. Non veni facere voluntatem meam,ſed eius qui miſit me Patris. Non te longi itineris conturbet auſteritas. Recordare illud Apoſtolicum,quia nõ ſunt condignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis,& per varias tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Pro Chriſti namque nomine,qui in hac vita decertauerint, in futura æternam remunerationem accipient, illã ſcilicet,quam nec oculus vidit,nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Ieſus Chriſtus autem filius Dei ſemper ſit tecum, perducat te ad vitæ æternæ conſortium.*

OPVSCVLVM QVARTVM.

Sermo Sancti Patris in morte Beati Placidi.

CCCIII. QVarto,ex quo Siciliam venerat anno Beatus Placidus martyrio coronatus, primus

Bene-

Benedictini viridarij purpureus flos Deo meruit offerri in eodem ſuauitatis. Cuius paſſionis à Meſſalino, & Cilio ſupradictis ad Sanctum Patrē Benedictum delata notitia, nō turbatus, ſed exhilaratus Pater Sanctus, palmas ad alta ſuſtollens, ſic oraſſe ſcribitur à Gordiano.

Grates tibi nunc promo cunctorum vita, ſaluſque, qui fructum labiorum meorum, dilectiſsimum Placidum, ſingularem, & vnicum mei pectoris filium ad tuum feciſti conſcendere ſolium.

Hæc pijſſimus Pater proclamans (ſubnectit Gordianus) & ſuper Beatiſſimi Martyris paſſionem vltra modum ſpiritali lætitia congaudens, omnem Caſinenſem conuocans concionem, talem ad eos habuit ſermonem.

Sicut Patris eſt gaudere in ſuorum profectibus filiorum; ita & filiorum eſt augmentum Patris ſua lucra reputare. Quapropter noueritis, dulciſsimum filium meum Placidum martyriali trabea adornatum migraſſe ad Dominum. Iam enim meis interioribus oculis eius immaculatam hoſtiam, & Deo beneplacentem, deduxi in alta Cælorum. Hunc nempe, tempore, quo illum à Patre ſuo ſuſcepi, memineram eſſe mortalem, nec fefellit opinio. Nunc non eſt, quòd conqueratur. Habeo in quo Deo gratias agam, quia ſemper optaui, vt de fructu cordis mei Omnipotenti Deo ſacrificium offerretur. Nihil enim hoc ſacrificio habui pretioſius, nihil amabilius, nihil carius. Elegit namque Placidus pro Chriſto momentaneam mortem, & peruenit ad eum in cæleſti ſolio ad dextram Patris regnantem. Ob id enim Chriſtus pro omnibus CCCIV.

mor-

mortuus eſt, vt nos non nobis, ſed Chriſto viueremus. Grates autem omnium Redemptori refero, quia ingratus eſſe non poſſum. Congaudendum enim mihi, ſcilicet, quòd talem diſcipulum habuerim, non dolendum, quod amiſerim. Nam illud munus fuit, hoc debitum, ſcilicet quòd functus ſum famulatu Placidi diſcipuli mei quamdiu Deus voluit, & poſt, qui dedit, recepit. Quod naturæ communis fuit, Placidus pro Chriſto poſuit, & quod ſingularis eſt gratiæ, meruit. Cur autem doleam ego, mihi Placidum filium meum ereptum; cum ad ſalutem noſtram Deus filio ſuo non pepercerit, ſed pro nobis omnibus tradidit illũ? Quis vnquam exceptus eſt à conditione moriendi, qui non eſt exceptus à conditione naſcendi? Non ergo deſleã Placidum filium, quem ſcio tranſyſſe de morte ad vitam. In illius namque morte gaudendum eſt, non dolendum, quia illam prò veritate, & æterni Regis fide guſtauit. Nam, cur ego te, Placide filÿ chariſsime deſleam, qui mihi ſic ereptus es, vt omnium eſſes? non enim perdidiſti vſum naturæ tuæ, ſed commutaſti. Ante corpore inſeparabilis à Deo exiſtens, nunc indiuiduus cum Deo es permanens. Fælicia verba, quæ in te expendi, fælices labores, quos in te ſuſtinui, dum viueres mecum. Nõ te Tertulli Patris tui amor à me diuellere potuit, nec ipſe mihi vnquam Patrem prætuliſti, quouſque ad æternam vitam migraſti.

OPV-

OPVSCVLVM QVINTVM.

Sermo eiuſdem in diſceſſu Beati Mauri è Caſino in Gallias.

PAucis ante menſibus, quàm in Cælum abiturus eſſet ſenior Pater noſter, aduenerunt Caſinum Legati è Gallia ab Epiſcopo Cænomanenſi, enixis precibus Sanctum Patrem rogante, vt ad illum ex ſuis Monachis aliquot mitteret, qui Monaſterium in ſua Diœceſi ſecundum regularem obſeruantiam conſtruerent. Cuius religioſæ petitioni annuens pijſſimus Pater, Beatum Maurum chariſſimum filium ſuum,qui tunc Præpoſitum agebat Caſini,cum Simplicio,Antonio, Conſtantiniano, & Fauſto illùc deſtinat. Hinc magnus mæror, & luctus vniuerſam Caſinenſem Congregationem corripuit. Cum enim Sanctus Pater obitus ſui diem iam appropinquare Fratribus reſeraſſet, ſpes, & conſolatio totius Congregationis ad Beatum Maurum reſpiciebat, illũ ſibi Abbatem, poſt Sancti Patris tranſitum expoſcentis. Tantis ergo fletibus, & ſuſpirijs motus Benedictus omnem euocans Conuentum,ſequẽtem ad eos habuit orationem, quam refert Fauſtus, vnus ex quatuor ſupra relatis Beati Mauri ſocijs, qui rebus interfuit, eiuſdemq; Beati Mauri vitam deſcripſit. Sic igitur exorſus eſt. CCCV.

Si triſtandum, dilectiſsimi fratres, ac filij, pro tali eſſet negotio, mihi magis, quàm vobis hinc eſſet mærendum, qui quantum ad præſens magnis videor de- CCCVI.

 ſtitui

ſtitui ſolatijs. Sed quia, dicente Apoſtolo: Charitas benigna eſt, benignitatem charitatis noſtræ omnimodis impendere debemus his, quos aliquo modo ea indigere cognoſcimus; nec noſtra tantùm, quàm aliorũ quærere. Quapropter vos amoris paterni ſollicitudine à fletibus, & mærore temperare depoſcimus, quia potens eſt Deus meliores nobis poſt huius depoſitionẽ corporis huic ſanctæ immittere Congregationi, quorum meritis, & exemplis longè præſtantiùs, quàm noſtris ædificemini. Sed & illud ſummoperè nobis eſt procurandum, ne verſutia antiqui hoſtis; vnde alijs ſalus acquiritur, inde nobis triſtitiæ malo detrimentum in aliquo ingeratur; nos etenim, quos vnitatis ſemel in ſancta charitate iunxit concordia, numquam vel longiſsima diuident terrarum ſpatia: quoniam ſemper interioris hominis aſpectu, qui renouatur ſecundum imaginem eius, qui creauit eum, nos quoad vixerimus tempore, inuicem intuebimur. Vos autem fratres chariſsimi, quos ad opus Domini conſtruendum ad illas dirigimus partes, viriliter agite, & confortetur cor veſtrum in ſancto propoſito, & religione: proculdubio ſcientes, quia quantò auſteriora, cauſa ſalutis aliorum in huius via ſæculi pertuleritis, tantò maiora à Deo recipietis cæleſtium gaudia præmiorum. Nec vos vllo modo reſolutio huius noſtri mæſtificet corpuſculi, quoniam præſentior vobis, carnis depoſito onere, ero, veſtrique Dei per gratiam cooperator exiſtam aſsiduus.

CCCVII. Hæc cum dixiſſet, dans oſculum Beato Mauro, & Commilitonibus, eoſque proſecutus cum vniuerſa Monachorum Congregatione vſque ad Oſtium Monaſterij, dedit Beato Mauro Codicem

dicem Regulæ, quam ipſe Pater ſanctiſſimus propria manu ſcripſerat, pondusſque panis, & vas æreum, eminam vini capiens; iterumque oſculatus, & ſua benedictione munitos dimiſit.

Pridie autem duos monachos Probum, & Aquinum ad Monaſterij villam Eucheliam præmiſerat, vt ibi Beato Mauro, & ſocijs primæ noctis hoſpitium præpararent. Eadem verò in ſequenti nocte miſit ad abeuntes duos alios Fratres Honoratum, & Fæliciſſimum cum Epiſtola ad Beatum Maurum, & religioſis Xenijs, Capſula nimirum eburnea, continente tres particulas Ligni ſalutiferæ Crucis, aliaſq; reliquias. Quam Capſulam apud Monaſterium S.Mauri Foſſatenſe iuxtà Pariſios adhùc ſeruari refert vir Illuſtriſſimus Caramuel. Tenor vero Epiſtolæ, quam ſecum contumulari voluit B.Maurus, talis erat.

OPVSCVLVM SEXTVM.

Epiſtola ad Beatum Maurum.

Accipe dilectiſsime, extrema Inſtitutoris tui dona, quæ & longum noſtrum teſtētur amorem, & tibi, ac Commilitonibus tuis contra omnium perpetim munimen præbeant impedimenta malorum. Poſt expletam enim totam trinam vicenorum decurſionem annorum, ex quo Monaſterialem adiſti perfectionem, in gaudium Domini tui es introducendus; vt nobis Dominus heſterno die, poſtquam à nobis digreſſus es, oſtendere eſt dignatus. Prædico etiam tibi, CCCVIII.

 mo-

moram vos in eundo eſſe paſſuros, ac cum difficultate habilem locum inuenturos pro his, quæ & Deo ordinante perficientur, & quæ inimicus humani generis, molimine calliditatis ſuæ in vos concitabit. Nuſquam tamen benignitas miſericordis Dei vobis deerit, ſed potius differendo licet, ac deſiderium animi veſtri in longum experiendo, aliorſum quàm ſperauimus, aptiſsimam dignabitur largiri manſionẽ. Iamque vale felix in profectione, fælicior futurus in peruentione.

OPVSCVLVM SEPTIMVM.

Epiſtola eiuſdem.

Ad Sanctum Remigium.

CCCIX. PVella Tholoſana, Benedicto nobili Patre porta, energumena ab infantia erat. Eam Parentes per Sanctorum ſepulchra circumductã à dæmone liberari non meruerant. Ducunt tandem illam ad Sanctum Patrem Benedictum, cuius ſanctitatis fama ſole iam ſplendidior radiabat. Vir autem totius humilitatis illam ad Sanctum Remigium Epiſcopum Rhemenſem liberãdam remiſit cum ſequenti Epiſtola. Rem narrat Flodoardus in hiſtoria Rhemenſis Eccleſiæ lib. 1. cap. 12. apud Hæſtenum, & alios.

CCCX. *Dominico Sacerdoti Remigio Frater, & conſeruus in Chriſto Ieſu, Cœnobialis vitæ humilis cultor Benedi-*

nedictus, æternæ benedictionis munus. Sanctiſsimo tuo congratulans profectui, Sacerdos Regis ſummi, quia ſummi capitis membra ſumus, quod mihi deeſſe ſentio in me, totum, laus Deo, poſsidere me credo in te. Ecce quod mea peccata fieri prohibuerint, tuæ auctoritatis Sacerdotalia habent merita: & deſinant amodo circa me rumores hominum. Cum apud te conſtet omnium eſſe perfectionem virtutum, hanc captiuam, & ab antiquo hoſte obſeſſam tuæ delego celſitudini, quatenus pro eius liberatione ſacram hoſtiam offerre Deo debeas, & meam paruitatem victoria ipſa non minimum lætifices.

Vale Sacerdotum Chriſti limpidiſsime calcule.

IVDICIVM.

De prædictis ſex Opuſculis.

QVod attinet ad ſermones, tanquam S. Patris dictata communiter recipiuntur. Neque ego omnino diffiteor. Verùm, non ad verbum ex ore Sancti Patris; ſed tantum ad ſenſum poſteris tranſmiſſos fuiſse, libentius crederem. Neque enim præmeditatè, aut è ſcripto dictaſse: neque omnes extemporaneos eius ſermones, exhortationes, & alloquia, vtiq; frequentiſsima, latine dictata, & ab Amanuenſibus continuò excepta ad verbum fuiſse exiſtimo. Quod mihi cõfirmat ipſius Gordiani textus, cum poſt relatos ſermones, ſubiungit, *Hæc, & his ſimilia Patre Benedicto proloquente*. Qua loquendi formâ indica- CCCXI.

re

re voluiſſe videtur, ſe non verba, ſed ſenſum referre: ad eum ferme modum, quo cæteri Hiſtorici Imperatorum ad exercitum, & Tribunorum ad Populum conciones narrant, non quales ad literã dictæ; ſed quales veroſimile eſt eas dictas, vel dicendas fuiſſe. Et quidem Gordianus non erat Caſini, cum Sanctus Pater Benedictus ſermonem in morte Sancti Placidi habuit. E Caſino autem ad ipſum Conſtantinopoli degentem, vt illum vitæ Beati Martyris inſereret, fuiſse trãſmiſsum non facilè affirmarem; niſi poſtea illi hiſtoriæ aſsutus fuerit. Sed neque mihi probabile eſt, Sanctum Patrem de Beato Placido loquentem, vnicum filium ſuum illum appellaſse: cum ſciamus, Beatum Maurum fuiſse illi in primis chariſsimum. Quapropter ſermonum texturam alieni calami opus extitiſse crediderim.

Ex duabus verò Epiſtolis, quam ſcripſiſſe fertur ad Beatum Maurum, dictatam fuiſse ad verbum à Sancto Patre, & ad verbum nobis traditam promptiùs concederem. Licet enim eam ſecum tumulari voluit Beatus Maurus; illius tamen tranſumptum, ſaltem apud Fauſtum remanſiſse non dubito. Quare ſi fides Fauſto, inficiari Epiſtolæ veritas nequit.

De alia ad Sanctum Remigium dubitat Baronius. Non dubitant Yepes, Tyreus, Moreau, Caramuel. Mihi in ancipiti eſt iudicium. Tu vide Hæftenum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE
424.179

IN-

INDEX RERVM.

Numeri ſunt marginales.

A

A In O commutata. 11
Abbas. 24.238
Abſentium commemoratio. 249
Abſolutio, Benedictio. 47
Abſolutio Capituli cur ſit dicta. ibid.
Agenda nomen ſingulare. 57
Agere, celebrare. 57.166
Alio, pro Alij. 30.31.256
Alleluia. 63
Aloyſius Squadronus Abbas. 161
Amen. 52
Anachoreta. 18
Anacletus Secundus Antipapa. 242
Anania, & Saphira an damnati. 203
Analogium. 48
Annona. Annonari. 101
Antonius Gallonius. 405
Antiphona. 46
Apodeipnon. 148
Aquinas Thomas. 211
Aſpiratio ante conſonantem. 15
Aſymboli qui. 142
Auſculta, & Obſculta. 10
Auſculta varie conſtruitur. 13

B *Ali-*

Digitized by Google

B.

B Aliquando tranſit in V conſonan. 11
S. Baſilij Regula. 259.263
Bellum inter Gregorium IX. & Fredericum II. Sanctum Thomam Caſino deturbat. 213.
Benedictio menſæ. 286
Benedictio pro Oratione. 53
Benedictione ſe inuicem ſalutant Monarchi. 90
SS. Benedictus Dei monitu Caſinum venit. 299
Barbam non nutriuit. 23
Eiuſdem Epiſtola ad B. Maurum. 307
Ad Remigium Epiſcopum. 308
Eiuſdem ſermo in diſceſsu B. Mauri. 304
In diſceſſu B. Placidi 300
In morte S. Placidi. 302
B. Maurum in Galliam mittens Codicem Regulæ illi tribuit. 304
B. Placidum in Siciliam cur miſit. 300
Benedictus Haftenus. 3. 13. 35. 139. 236. 268.
S. Bernardus fauet Innocentio contra Anacletũ. 242
Bibliothecarum vſus apud Benedictinos. 161
Biberes quid. 111
Birretum. Birrum. 21
Bracæ. Braccæ. 192
Bracci olim non vſi Romani. ibid.
Braccata Gallia Narbonenſis. ibid.
Bracile. 193
Breue. 106

Ca-

C

CAlendæ Octubres. 158
Caligæ. 177.191
Calciaria. 176
Canonarcha. 155
Caput Quadrageſimæ. 64
Captiui raſi. 22
Caramuel. 14.41.59.69.102.189.211.240.272.
Carnium eſus. 124.132.
Caſinenſes atri coloris retinctiſsimi. 181,
Caſinenſe Monaſterium eſt verus Epiſcopatus. 243.
Cathecumeni. 117.
Catechumeni à ſacrificio arcebantur. ibid.
Catechumenorum Miſſa. ibid.
Cellararius, Cellarius, Cellarium. 101.
Cellulanus. ibid.
Cemelia, Cimelia, Cimeliarca. 94.
Centenarij qui. 80.
Charitas ſocia humilitatis. 35.
Cheridote tunicæ. 188.
Chorales Monachi, & laici. 221.
Chorus ſiniſter preit dextrum. 289.
Chriſtus an habuerit rigoroſum præceptum moriendi. 41.
Chriſtiani ab Ethnicis aliqua traxerunt, & conſecrarunt. 118. 120.
Ciathus. 135.
Circumcelliones. 23.
Ciſtercienſes. 166.
Ciſtercienſes à Caſinenſibus multa mutuati. 78.

Clauſtra in fœminino. 297.
Clauſtra egredi nulli licet. 249.
Clericorum locus in Monaſterio. 224.
Clepſidris olim deſignata hora. 155.
Celeſtinus V. Caſinum venit. 181.
Colorem habitus in Caſinenſibus immutauit. ibid.
Color veſtium S.P.Benedicti. 180.
Colores varij in habitu monaſticorum. 179.
Collatio Symbolum. 142.
Collationes Patrum. ibid.
Collatio Serotina ſic dicta. 143.
Colobium. 188.
Colluſio, Colluſor. 93.
Cœnobium, Cœnobita. 18.19.
Cœna Collatitia. 142.
Collecta vnde. 53.
Comes. 80.
Commiſsi Congr.Caſ. 222.
Communio quotidiana. 123.
Communio ſub vtraq; ſpecie. 122.
Comparatiuum cum præpoſ. 27.
Completæ nomen S.P.B. ignotum. 298.
Completorij in plurali. 143.
Conuenire. 59.
Conuerſi, & nutriti qui. 220.
Conuerſi vnde ſic dicti. 220.
Cor pro memoria. 42.
Cotyla quid. 135.
Cuculla. 176. 186.
Cum, loco Prò. 215.
Cuppa teſtacea ad bibendum. 297.

Deca-

D

DEcanus. 86.
Decani qualitates. ibid.
Deificum lumen deifica inſtrumenta. 15.
Diacones. 228. 229.
Directaneè pſallere. 68.
Diſcretio mater virtutum. 239.
Dominus vocetur Abbas. 231. 235.
Domnus. 237.

E

ECcleſia vox inuſitata S.P.B. 296.
Electio Abbatis etiam à minori, ſed ſaniori parte præferenda. 238.240.241.
Emendo neutrum. 107.
Emina vini. 133.
Emina, quæ menſura, quodue pondus. 134.135.
Epiſtola S.P. Bened. ad B. Maurum. 307
Epiſtola S.P. Bened. ad Beatum Remigium. 308.
Eptaticus. 143.
Eremitæ. 18.
Erigi pro ſuſpendi. 202.
Eulogiæ. 174.175.
Excommunicatio. 85.86.147.
Excommunicationis varia acceptio. 86.
Excommunicationis varij gradus. ibid.
Excuſare Regulam quid. 206.
Exomidæ Tunicæ. 188.
Extollere pro turbare. 162.
Excuſſus. 32.

F

FAcere, ſacrificare. 57.
Facientibus hæc &c. an ſint verba S. P. Benedicti. 264.
Fauſtus vitæ S. Mauri ſcriptor. 304.
Fœminis non loquatur ſolus Monacus. 283.296.
Fœmoralia. 192.
Fœmoralibus non vſi Caſinenſes. 192.
Fercula cruda apponenda in menſa ante refectionem. 288.
Fercula nouiſsimis primum apponenda. 287.
Ferramenta Monaſterij. 103.106.
Fiſtula. 122.
Floccus. 187.
Franciſci Victoria, & Petri Lorcæ opinio de præcepto mortis Chriſti. 41.
Froccus. 187. 189.

G

GAllonius. 4.
Gehenna quid. 40.
Genua flectunt Monachi in principio, & in fine officij. 77.
Gloria Patri. 47.
Gordianus S. Placidi vitam ſcribit Conſtantinopoli græca lingua. 300.
Grammatica S.P. Benedicti defenditur. 14.
Graphium. 199.
Gratia excitans, & adiuuans. 13.14.

Gratia, lumen deificum. 15.
Gregorius Papa III. & Zacharias officij B. Mariæ recitationem Caſinenſibus præſcribunt. 78.
Græca vocabula, Neapoli. 94.
Græciſmus. 227.
Gymnaſia quid. 113.
Gymnici ludi. 113.
Gyrouagi. 18.

H

Hebrææ phraſi vtitur S. P. B. 77.95.96.
Hebdomadarij. 110.
Haſtenus. 139.236.237.238.
Heptas. 143.
Heptaticus]
Heptateucus] 143
Horæ officij recitandæ cura. 154.155.
Horæ canonicæ quot. 66.
Horologiorum inuentor. 155.
Hortum, neutro genere. 248.
Hoſpes vnde dictus. 173.
Hoſpitum ſuſceptio, & cura. 170.
Hoſtia ſanguine intincta. 122.
Humilitas, & Charitas. 35.

I

Ientaculũ Serotinum vnde dictum Collatio. 143.
Ilicet. 118.
Impoſsibile Phyſicum, & morale. 252.
Impoſsibilia, quomodo exequenda. 251.252.

Indi-

Digitized by Google

Indigeries. 124. 131. 137.
Indirectum pſallere, & directaneè. 55.
Induſio, ſeu ſubucula non vſi veteres. 199.
Infantes. 114. 115.
Infantes cum menſura arguendi. 254.
Infātes olim Caſini Pſalmos in Choro intonabāt. 151.
Infernus cur gehenna dicitur. 40.
Ingenuus. 27.
Innocentius Secundus præfertur Anacleto. 242.
Interuallum inter nocturnos, & laudes quomodo tranſigendum. 44.
Iuniores qui. 33. 233.

K

Kalendæ Nouembres pro Nouembris. 42. 43.
Kirielleiſon. 49.

L

Lac, & mel datur communicantibus apud Ethiopes. 122.
Laici in Religione. 221.
Landulphus Senebaldus Caſini Abbas S. Thomæ patruus. 213.
Laudes. 55.
Lectio menſæ. 116.
Lectum neutro genere. 82.
Lectiſternia quid. 83.
Lectoris menſæ benedictio. 116.
Lector menſæ accipit mixtum. 116.
Legumina aquæ infuſa. 127.

Legu-

Legumina naſcentia. ibid.
Lena. 196
Lenates. 169.
Libra Benedictina. 128.
Libræ varia pondera. 129.130.
Litaniæ. 57.
Literæ, & Eulogiæ quid. 175

M

Mandatum. 91.
Mantile. 197.
Mappa. ibid.
Mappa veteres Romani non vſi. ibid.
Mappula. ibid.
Martyrologij lectio. 278.
Matuta, Matutini. 44.
B. Maurus in Galliã miſſus ex præpoſito Caſini. 304.
Mel, & lac cõmunicantibus datũ apud Etiopes. 122.
Melotes. 187.
Memor cum Accuſatiuo. 32. 101.
Meminere pro meminiſſe meminens. 27.
Memoriter, ideſt ex corde. 49.50.
Menſæ, lectoris benedictio. 116.
Menſa ſilentium. 116.
Militor. 17.
Miſſas tenere quid. 225.
Miſſæ nomen. 117.
Miſsio, Miſſæ fiant. 69.
Miſſæ in plurali, 117.
Miſſa Catechumenorum. ibid.
Miſſa fidelium. ibid.

Miſ-

Miſſio duplex in ſacrificio. 119.
Mixtum. 116.
Molendinum, olim Piſtrinum. 248.
Monachi peregrini qualiter ſuſcipiantur. 226.
Monachorum quatuor genera. 18.
Monaſterium Caſinenſe eſt verus Epiſcopatus. 243.
Moter pro mater. 11.
Munuſcula interdicta Monachis. 174.175.
Murmurioſus. 30.32.
Murmuratio iuſta. 138.139.
Murmurio. 35.

N

NAzaræi. 21.
Neapolis Græca olim Ciuitas. 94.
Neapoli Græca vocabula perſeuerant. 94.
Neglegenter. 103.
Neglegens. 157.
Noceo cum accuſatiuo. 297.
Nocturna vigilia in Regula nunc matutini. 44.
Nonnus. 230.234.
Ad nonam veteres comedebant. 101.
Nutriti, & conuerſi qui. 220.

O

O, Et A, & au antiquis promiſcua. 11. 13.
Obediant ſibi inuicem Monachi. 257. 258.
Oblati Congregationis Caſin. 223.
Oblatio, quæ facienda in profeſſione. 215.
Obſculta in Auſculta. 10.
Odire pro Odiſſe. 30. 32.
Officij recitandi obligatio quando inceperit. 78.
Officium paruum S. Mariæ, & S.P. Benedicti iam à nongentis annis Caſini celebratur. 78.

Offi-

Officia tria quotidie recitata Caſini. ibid.
Olla, & Aulla. 12.
Opuſcula S.P.Bened. 265.
Oratio dicenda ante quam cubitum eamus. 290.
Oratio Dominica alta voce dicenda. 58.
Oratio Domiuica eſt finis Officij monaſtici. 58.
Oratio mane dicenda. 276.
Ordo monaſticæ conuerſationis eſt veluti Ceremoniale monaſticum. 266.
Oſtiarij, & Portarij cura. 247.

P

PAcis oſculum, quo ritu olim datum. 232.
Palimpſeſtus. 199.
Palla altaris. 219.
Parentes quomodo poſsint obligare filios ſuos ad ingreſſum Religionis. 211.
Panis libra. 124. 128.
Pars ſanior etiam ſi minor præfertur maiori. 240.
Paſsiuum verbum pro actiuo. 17.
Paulus Diaconus ſcribit Carolo Magno nomine Theodemari. 128.
Pedules. 190.
Peculiare, Peculiaritas. 107. 108.
Penctum menſuræ ſpecies. 135.
Pentecoſtes. 63.
Petitionem facere. 215.
Peregrinorum multitudo Caſini. 173.
Peregrini. 200.
Petaſi non meminit Regula. 199.
Pentateuchus. 143.

Digitized by Google

Petrus Diaconus Caſ. 2. *Eius deceptio in titulo Regula.* 3.
Pœniteor. 29.
S. Placidus in Siciliam cur miſſus. 300. *Anno* 4. *martirio coronatur.* 302.
Ploſtrum, & Plauſtrum. 12.
Pondus panis ex Regula. 128.
Pondera, & menſuræ variæ. 130.
Pondera duo Caſsinenſia æneum, & Ferreum. 129.
Pondus panis S. Bened. à Zacharia Pontifice Caſinum reportatum. 128.
Portarij officium. 247.
Potio ex melle monachis aliquando propinata. 137.
Presbyteri. 225. 232.
Præpoſitus magnus in Monaſterio S. Saluatoris. 246.
Præpoſiti ordinatio. 244.
Prior non eſt præpoſitus in Regula. 58. 257.
Prioris nomen inſtitutum Caſini à Cœleſtino V. 58.
Profeſsionis die Nouitius olim habitu monaſtico indutus. 207.
Profeſsionis monaſticæ antiquus ritus. 208.
Protrahere, ſubtrahere. 146.
Pſallere cum Antiphona. 55.
Pſallere indirectum. ibid.
Pſiathium. 195.
Ptolomeus Lucenſis D. Thomæ Confeſſarius. 113.
Pugillares. 198.
Pultis Pulmentarium. 126.
Purificatio poſt communionem. 122.

Q

Quadrupedum eſus. 132.
Quotidiana communio. 123.

Re-

R

Regulæ Titulus. 1.
Regula à S. Simplicio promulgata. 5.
Regula idest directio. 229.
Regula ſæpe legenda in Monaſterio. 247.
Regula non præſcribit ſpeciales Pſalmos in Officio Sanctorum. 61.
Regulæ exemplar. 104.
Regni Neapolitani cum Græca lingua commerciũ. 94.
Renuitæ. 20.
Reſponſorium. 48.
Ritus, & Cæremoniæ bonitatem, vel malitiam, ſumunt ab obiecto. 120.

S

Sacerdotum locus. 224.
Sacerdos legatus, & aduocatus ad Deum. 53.
Sagum. 194.
Sandalia. 191.
Sarabaitæ. 18. 20.
Scapulare. 189.
Senior. 83. 90.
Senpecta, Sempecta, Sympecta. 93.
Septimana. 110.
Septimanarij benedictio. 110. 116.
Sermo S.B. è ſublacu Caſinum abeuntis. 299.
Sermo S.P. ad S. Placidum in Siciliam proficiſcentem. 300.
Sermo S.P. in diſceſſu B. Mauri. 30.
Sermo S.P. in morte S. Placidi. 302.
Seruitor, miniſter. 123.
Seu. 206.

Sfortia Pallauicinus. 41.
Signa pro verbis. 116. 120.
Silentium indictum ante Completorium. 290.
Siluanus Razzi. 58. 105.
Silueſter II. horologiorum auctor. 155.
Simplicius Caſini III. Abbas. 2.
Non fuit autor Tituli in Regulam. ibid.
Publicauit Regulam. 5.
Siniſter Chorus prior exit refectorium. 289.
Solatia. 102.
Stando pſallunt Monachi. 75.
Storea. 195.
Studeo in accuſatiuo. 140. 141.
Subditus cnm Abbate non contendat. 29.
Subſtantia Monaſterij. 103. 104.
Subtrahere, protrahere. 146.
Suum non dicant Monachi. 107. 108.
Symbola. 142.
Symbolum. ibid.

T

Tabulæ. 198.
Tardè concurrentium ad Officium, & ad menſam pœna. 144. 145.
Te decet laus. 52.
Temperius. 51. 52.
Tertullus S. Placidi Pater in D. Ben. munificus. 300.
Teſſera, Symbolum. 142.
Theodemar Abbas Caſini Carolo Magno mittit pondus panis ex Regula. 142.
Terma vnde dicta. 113.
S. Thomas Aquinas. 39. 211.
S. Thomas Caſinum petit, Caſino diſcedit. 213.

Ti-

Tibialia. 192.
Tipus, Typus, Typhus. 102.
Tonſura, & raſura. 22.
Tonſura monaſtica. 21.
Trogulus. 190.
Tunica. 188.
Tunicæ manuleatæ cheridotæ. 188.
Tunicæ exomidæ. 188.
Tunicella non meminit S.P.B. 199.

V

V Conſonans abit in B. 11.73.
Vel, pro, &, 16.
Verſus cur ſic dictus. 46.
Verſus ad ſoluendum ſilentium. 279. 293.
Veſtiaria. 176.
Veſtiarium. 205.
Vigiliarum diſtinctio. 52.
Vini Emina. 137.
Vini potus, excreare facit. 122.
Vini potus Monachorum non eſt. 133. 137.
Vlna Romana, & Neapolitana. 130.
Vltimum Regulæ Caput ex Autographo S.P.B. Caſini aſſeruatum. 260.
Vmbra deſignatæ olim horæ. 155.
Voluptas pro Volumptas. 13.40.
Vſque ſine, ad. 138.254.

FINIS.

Digitized by Google

	Errata	*Corrige.*
25	conſutæ	conſuræ.
26	Im	In
31	Intelligibiles	Intellegibiles
32	Intelligentiam	Intellegentiam
37	pœnitebis	pœniteberis
39	& ſequatur	vt ſequatur
46	obſeruauit.	dele punctum
58	rectè	rectæ
59	intelligens	intellegens
66	æditi	editi
70	natura	Naturæ
75	Nouar.	Nauar.
76	Decantantur	decantando
76	Hinc	hic
78	ſeraricus	ſerarius
104	abſq;, collectis	dele virgulam
106	quinque	quique
109	bicefimuum	bicefimum
110	dininum	diuinum
127	uullus	nullus
135	peſtea	poſtea
154	diudicare	dijudicare
173	Herminæ	Heminæ
193	ipſo	ipſe
226	Szomenus	Sozomenus
227	ſpelmanum	ſpelmannum
257	extimauit	exiſtimauit
309	Patris	Patri
334	ſtuduerint	ſtuduerunt
335	eodem	odorem

Digitized by Google

424.179

Confr con 423,767